exigibilitatem de facto, non autem illam juris, quia nempè tunc verè nomen debitoris non esset, vel sit exceptione elidibile, ut *in d. l. si plus*, & *in l. si nomen*, *cum l. seq. ff. de hæred. vel act. vend.* atque post antiquiores ab eis relatos, ita distinguendo firmant Mant. *de tacit. l.4. titul. 13. n.5. cum seqq.* Cenc. *de cens. q.72. num.23.* Olea *de cess. jur. tit.7. q.3. n.3.* & admittitur etiam in primis tribus contrariis decisionibus, in quibus nullum adest æquivocum juris, quoniam conclusiones in eis deductæ sunt veræ, sed æquivocum est facti, seu applicationis tam circa scientiam in cessionariis, vel creditoribus præsuppositam, unde propterea intrarent termini *in l. si fundum sciens, C. de evict.* quam circa confusionem unius partitæ cum altera; Ac etiam circa præsuppositum, quod debitor cessus de tempore cessionis esset talis, sed postea desierit, cujus contrarium verius erat, quoniam sententia absolutoria non faciebat cessare debitum præexistens, sed declarabat debitum nunquam extitisse, utique locatorem nunquam fuisse debitorem, ob insubsistentiam prætensionum Prosperi conductoris, ac cedentis respectivè.

6 Isto etenim casu, quotiès ex facti circumstantiis non constet, quod cedens sit dubius, an jura competant, necnè, illa conditionaliter cedat, nempè, *si & quatenus sibi competant*, cum tunc videatur solum spes, seu prætensio per speciem incertæ aleæ in conventionem deducta, ideoque intrant solum termini doli, vel læsionis, sed supponitur veritas debiti quæcumque tunc verba cautelativa ex parte cedenti adjiciantur, percutiunt exigibilitatem de facto, præsupposita tamen illa de jure.

7 Ex ea convincenti ratione, quod datio insolutum in omnibus fraternizat cum emptione, & venditione, eademque exigit essentialia requisita circa consensum, rem, & pretium ex deductis apud Buratt. *dec.372. & passim*; ideoque, sive debitor nomen debitoris ejus creditori det insolutum; Sive tertius pro convento pretio, vel recompensa, idem nomen, vel jus alteri cedat, adeout emptionis, & venditionis contractum redoleat juxta dictos terminos *in l. si nomen*, & *in l. sequenti ff. de hæred. vel act. vend. & l. si plus in fin. ff. de evict.* cum concordantibus, tunc oportet dare existentiam debiti, vel juris cessi, quamvis accidentaliter ob inopiam debitoris, sive ex alio casu, cesset exigibilitas de facto, quoniam alias dicitur deficere res in contractum deducta, & sic unum ex tribus requisitis essentialibus.

Hinc proinde, ubi præsertim agitur de cessione alicujus annui census, in cujus casu, ob tractum successivum frequentius hujusmodi quæstiones oriri solent, si debitoris cessi insufficientia, vel census inexigibilitas proveniat ex eo, quod de tempore impositionis census, fundus censitus effet
8 jam absorptus ab hypothecis anterioribus, sive jure dominii vendicaretur, puta (ut frequentius contingit) quia sit subjectus alicui fideicommisso postmodum purificato, seu quod alias cum retractione jus debitoris sit resolutum; Et tunc, ubi etiam ex dispositione juris, vel ex conventione, periculum nominis cessi ad cedentem, non autem ad cessionarium spectare deberet, adhuc cessionario competit actio evictionis, vel restitutionis pretii, sive regressum ad primævum ejus creditum respectivè, ex dicta ratione nullitatis actus ob defectum unius ex essentialibus requisitis, dum reverà ex deficientia fundi, quia sit alienus, vel hypothecatus, census cessus non erat in rerum natura, ut benè advertitur per Rot. apud Merl. *dec.639.* quæ reputatur in materia magistralis, & recepta, sæpius canonizata.

9 Quare in ista nimium in foro agitari solita, & frequenti quæstione, super exigidibilitate debiti, vel juris cessi per debitorem creditori, in centesimo, & fortè longè majori numero hujusmodi controversiarum, quas in diversis Tribunalibus disputare occasio dedit, vel pro veritate respondere (omnibus ferè in idem coincidentibus) observare consuevi, ut quæstio esset potius facti, & applicationis, quam juris, potissimè verò circa naturam cessionis, an illa esset pro solvendo, vel pro soluto; Et in dubio, ubi verba, vel aliæ circumstantiæ aliter non suadeant, regula est, ut cessio censeatur potius pro solvendo, quam pro soluto juxta opinionem, in qua residet Rota, & Curia ex iis, quæ cæteris relatis habent apud Dur. *dec.266. n.17.* apud Royas *dec.368. per tot. dec.47. n.1. cum seqq. p. 10. rec.* ut frequenter *hoc eod. tit.* advertitur.

10 Atque isto casu, cum cessio importare dicatur potius dationem, ac respectivè susceptionem mandati ad exigendum nomen, quod perseverat in dominio cedentis, hinc proinde istius est periculum, quod contingat ex decoctione, vel alio casu nominis cessi, solumque cessionarius, ob susceptionem mandati ad exigendum, ut regressum contra cedentem habere valeat, docere tenetur de diligentiis moralibus, ac talibus, qualibus, & pro facti qualitate pro ejus exactione, ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud Fontan. *decis.* 124. *& seq.* Altog. *cons.37. n.28. & seqq. l.1.* Rot. *dec.666. p.4. rec. to.3. dec.44. num.12. p.11.* adud Merl. *d. dec.639. & frequenter.*

11 Ubi verò cessionarius diu, seu alias exigere negligat, adeout si diligentias adhibuisset, exactio sequuta esset, antequam contigisset casus decoctionis, vel alterius impedimenti; Et tunc quamvis aliqui desuper se involvere soleant, ut patet ex deductis per Greg. & Add. *dec.227.* Olea *de cess. tit.7. q.3. à n.39.* Salg. *in labyr. par.3. c.11. n.53. & seq.* Attamen quæstio pariter facti potius est, quam juris; Istius enim dispositione attenta, lapsus temporis, vel negligentia causare non potest translationem dominii, & successivè periculi, ideoque in hoc sensu rectè loquuntur dicentes, ut negligentia cessionario non præjudicat; Benè tamen intrant termini actionis mandati pro illa lata, seu levi culpa, quam mandatarius præstare tenetur mandanti ob neglectum, seu malè administratum susceptum mandatum, atque in his terminis benè loquuntur tenentes diversam opinionem, ut negligentia præjudicet cessionario; Ideoque certa, & determinata regula generalis desuper non cadit, erroneumque est, auctoritates, vel decisiones de uno, vel respectivè altero casu loquentes, cuicumque aplicare, sed decisio in singulis casibus pendet ab eorum respectivè particularibus circumstantiis dictam culpam redolentibus, necnè.

12 In plerisque autem partibus, ubi præsertim agatur de litteris cambii cessis, seu giratis, in quibus frequentius hujusmodi quæstiones cadere solent, & de quarum casu agitur apud Royas *d. dec.362. & dec.57. p.10. rec.* per leges particulares desuper provisum est, ut nisi, qui litteras, vel earum giratam accepit, infra certum terminum protestationes faciat, aliasque adhibeat diligentias, suum sit periculum, ut præsertim in Regno Neapolitano per Regiam pragmaticam est dispositum ex iis, quæ habentur *sub tit. de camb. disc.22.* nimiumque laudabile esset, ut ubique ita provideretur, ad omnes lites, & quæstiones dirimendas.

Ubi verò ex facti qualitate constet, quod cessio facta sit pro soluto, adeout importet veram dationem in solutum, seu respectivè venditionem; Et tunc, aut adest inexigibilitas etiam de jure, quia nempè debitum cessum, verè non præexistat ut supra, & isto casu extra controversiam
13 est, ex jam deductis, ut debitor non liberetur, seu cedens evictionem præstet, nisi ex facti circumstantiis constet, quod in contractum deductum sit ipsum jus incertum, sive incerta alea; Unde propterea in hoc esse solet quæstio facti potius, quam juris, ex singulorum casuum circumstantiis, & conjecturis decidenda, potissimum verò ex quantitate prætii, seu qualitate crediti, pro quo talis cessio facta sit, ex recepta frequenti propositione, quod ex pretii quantitate desumitur contrahentium voluntas, & quid in conventionem deductum sit Alex. *cons.26. l.4. concord.* apud Greg. *dec.* 226. Romana apothecæ, seu pecuniaria 8. Junii 1664. & inter suas *dec.* 607. & 644. coram Bichio.

Aut adest veritas, seu exigibilitas de jure, sed accidentaliter adsit inexigibilitas de facto; Et tunc subdistinguendum est, an id proveniat ex qualitate personæ cessionarii, qui non possit liberè exercere jura cessa eo modo,
14 quo posset cedens, puta ob reverentiam ab ipso debitam debitori cesso, cui cedens non deberet; Sive ob diversam qualitatem in genere juxta casum, de quo *sub tit. de usur. disc.5.* ubi de usuris judaicis non exigendis à christiano cessionario, quamvis exigi possent à judeo cedente, atque contingere solet in forensibus incapacibus acquirere, ac exercere jura, quæ competant concivibus; Vel ubi obstet nationalitas cum similibus, atque tali casu certum est, ipsius cessionarii, non autem cedentis esse damnum, quod ejus facto provenire dicitur.

15 Aut posita tunc veritate, seu exigibilitate de jure postmodum in toto, vel in parte resultet inexigibilitas etiam de jure, puta, quia Princeps, vel alter supremus Magistratus, qui ad id sufficientem potestatem habeat, edicto, seu lege caveat, quod census, vel alii redditus ad minorem summam reducantur, seu per aliquod tempus suspendantur, ut in censibus cum Communitatibus frequenter contingere solet ex deduct. per Cenc. *de cens. q.3.* Rovit. *prag. 5. de cens.* plenè Olea *de cess. jur. tit.3. q.7. sub tit. de cens. in suppl.* Sive, quod debitoribus moratoriæ concedantur ex



ex causa belli, vel sterilitatis, aut alterius accidentis, ad ea, quæ ad materiam moratoriæ habentur collecta per Grass. *de except. c.32.* cum similibus, & tunc, ubi etiam cedens utramque exigibilitatem facti, & juris promisisset cum verbis denotantibus tractum successivum, ac perpetuum, adhuc istud accidens cadere debet in damnum cessionarii, cum sit casus, qui sequi debet dominum, eodem modo, quo ejus damno cedere deberet amissio census in toto, vel in parte ob casualem peremptionem fundi, vel deteriorationem, ut bene probat Olea *ubi sup.* idque nimium probabile videretur.

16 Nisi (ut quandoque in facti contingentia practicavi) esset cessio, vel assignatio pro solvendo, non autem pro soluto, quia nempè debitor annui census impositi super ejus bonis, ad majorem ejus commoditatem, ac ad evitandum circuitum, sive (ut frequentius) ob qualitatem creditoris, in quo facilior sit exactio fructuum, vel redditnum à communitatibus, vel à debitoribus, talem assignationem tanquam per speciem mandati faciat, cum totum pendeat à dominio, cujus sequela est periculum; Ideoque istud esse debet ejus, qui est dominus, & cujus esset commodum, quod ab incremento resultaret, dum tali casu, cessionarius, vel assignatarius subjaceret periculo peremptionis fundi, super quo ejus census fundatus est.

17 Aut demum, his cessantibus, agitur de pura inexigibilitate de facto ob debitoris inopiam, & tunc, aut ista supervenit post cessionem, vel dationem insolutum, de cujus tempore debitor cessus idoneus, & magis planum est, ubi actus est pro soluto, & non pro solvendo, ut periculum sit cessionarii tanquam domini ad text. *in l. nomen ff. de hæred. vel act. vend. & l. pupilli §. soror. ff. de solut.* utrobique Scribentes communiter, & alibi ex deduct. per Cenc. *q.72. n.23.* Tond. *q. civ.* 49. Olea *de cess. jur. tit.7. q.3. num.2. cum seqq.* Franch. *dec.108.* ubi Add. Rot. apud Durand. *d. dec.666. dec.476.* post Cenc. *de cens. & in aliis, de quibus infra.*

18 Cadente quæstione, quando de tempore cessionis, vel dationis insolutum esset debitor jam inexigibilis de facto, quo casu DD. nimium certant, distinguendo, an cessionarius esset conscius status debitoris cessi, necnè, vel è converso id innotesceret cedenti, & an intret dolus, seu læsio, aut falsum præsuppositum, ut patet ex mox allegatis.

19 Mihi verò occasione plurium quæstionum desuper habitarum, semper visum est, ut hujusmodi quæstiones in abstracto inanes essent, quodque iste sit unus ex erroribus procedentium cum solis doctrinis, ac decisionibus, illas in uno casu editas cuicumque alteri applicando, quoniam verius est, istam dici quæstionem potius facti, quam juris, in singulis casibus pro eorum particularibus circumstantiis decidendam, cum ea regula, quæ servanda est in quæstionibus voluntatis, inspiciendo potissimum (ut supra advertitur) quantitatem, & qualitatem pretii, seu æquivalentiæ.

20 Procedunt hæc, ubi simpliciter cessio facta est absque aliqua expressione exigibilitatis, vel ubi per verba generalia, pro consueto Notariorum formulario, dicatur nomen cessum esse bonum, & exigibile &c. quoniam tunc juxta dictam regulam, ista promissio intelligitur de bonitate, ac exigibilitate de jure nisi accedant talia verba, vel circumstantiæ, ut denotent partes sensisse etiam de exigibilitate
de facto, & super quo tanquam in quæstione facti, & vo-
21 luntatis prudens judex servare debebit, adeò frequenter insinuatam regulam, tam in ultimis voluntatibus, quam in actibus inter vivos perpetuo servandam, ut non immorandum sit in nuda formalitate verborum; sed attendi debeat substantia voluntatis ex facti circumstantiis, quibus verba famulentur, cum frequenter Notarii, transcribendo omnia ex eorum formulariis, adjiciant ea, quæ in contrahentium intentione nunquam fuerunt.

21 Quatenus verò, ex verbis, vel aliis constet, ut etiam exigibilitas de facto promissa esset, & tunc in simplici debito, quod non habeat tractum successivum, congruere videntur ea, quæ habentur supra de casu cessionis factæ pro solvendo, & tanquam per speciem mandati dati ad exigendum nomine ipsius cedentis; Ubi verò agatur de debito habente tractum successivum, puta de annuis censibus, in quibus hujusmodi quæstiones frequentius contingere solent; & tunc si verba non habent tractum successivum, ac perpetuum, quia nempe non accedat obligatio semper, & perpetuo manutenendi cessionarium in pacifica, & libera exigibilitate tam de jure, quam de facto, verius est, ut id intelligendum veniat discretè arbitrio boni viri per aliquos annos, puta quatuor, vel quinque juxta *d. dec.476. n.4. & seq.* post Cenc. *de cens. repet.* inter illas Cocc. passim in Curia receptam, ac admissam in proximè allegandis decisionibus; Secus autem, ubi accedant verba, & pacta perpetuitatem ut supra denotantia, cum tunc secus dicendum sit, ut ita distinguendo cæteris relatis firmatur in Novar. pecuniaria 26. Junii 1652. coram Bichio *inter ejus impress. decis.518.* & in Tudertina census 28. Martii 1653. coram Meltio, (in qua causa ego scribebam) & frequenter in aliis, quoniam cum hac distinctione passim in Curia proceditur absque alio discursu, vel examine.

22 Id autem ita generaliter, ac indefinitè sumptum, mihi in annuis censibus nunquam placuit, cum sit ambulare in cæca fide, eo quia sic aliquando dictum fuerit, non distinguendo, quomodo, & quare; Difficilis enim, vel nimium rarus est casus, in quo detur census idoneus de tempore impositionis, & postea ex solo casu inopiæ debitoris fiat minus idoneus, dum præsupponendus est fundus capax, & liber, quem cessionarius contra quemcumque tertium possessorem persequi potest, atque tenetur; Insufficientia verò contingere solet ex deficientia fundi verè & intrinsecè, militante etiam de tempore impositionis, vel cessionis, quamvis posteà detecta sit, quia nempe ab hypothecis anterioribus absorbeatur, vel quod ob purificationem fideicommissi, vel cessatam investituram, resolvatur jus possessoris, cum similibus, quasi quod cessionarius ideò solicitus fuerit de futura, & perpetua exigibilitate, quia intellexerit velle censum benè impositum super fundo libero, & capaci; Atque tunc inexigibilitas dicitur esse potius de jure, quam de facto, cum ab initio census liber, ac perpetuus verè non præexistat juxta *dicta dec.639.* Merlin.

Ubi autem exigibilitas verè proveniat à casu postea contingente, & tunc posita circumstantia, seu qualitate cessionis ut sit pro soluto, non autem pro solvendo, id improprium videtur, quod scil. census efficiatur de dominio cessionarii, & tamen periculum sit cedentis; Licèt enim pro facti qualitate, impossibilis non sit casus conventionis, ut venditor suscipiat in se periculum casus fortuiti in re vendita contingentis; Attamen id non est præsumendum, magnæque concurrere debent circumstantiæ, ob quas ab hujusmodi conventionibus, usurarum suspicio tollatur; Nisi, ut dictum est, cessio esset magis pro solvendo, redolens potius mandatum datum ad exigendum, tanquam simplex assignamentum.

23 Quando autem cessio facta dicatur magis pro solvendo, quam pro soluto, vel è converso; Quamvis nimium controversum sit inter Scribentes, qui involvere se videntur, atque præsertim acriter disputatum fuit in Neapol. pecuniaria, seu cambiorum inter Hieronymum, & Angelum de Pallavicinis cum Vincentio Velluto, in qua Rota variavit, modò respondendo pro cedente, & modò pro cessionario, ut patet ex deductis in causa *disc. seq.* Verius tamen est, ut procedat idem, quod supra insinuatur, quod scil. erroneum sit, certam, ac determinatam regulam desuper statuere, vel doctrinas, ac decisiones aliquos casus percutientes, quibuscumque aliis indefinitè applicare, cum decisio pendeat ex singulorum casuum circumstantiis, unam, vel alteram voluntatem denotantibus; Suffragante solum regula superius insinuata, ut juxta magis com-
24 munem, atque in Curia receptam opinionem, ubi præsertim agitur de creditis juris consistentibus in litteris cambii, vel ordinibus, seu apocis &c. cessio præsumatur potius pro solvendo, idque attendi debeat in casu dubio, & quando aliæ non concurrant probationes, vel fortiores præsumptiones istam præsumptionem suffocantes; Adeout licet cum Responsis super ista materia solum datis integrum volumen fortè confici posset; Attamen in effectu est continuata repetitio earumdem propositionum, modo pro una, & modo pro altera cessionis, vel assignationis
25 qualitate respondendo, pro facti circumstantiis; Eodem modo, quo habetur infra super consimili puncto, an bona per debitorem simpliciter data creditori, censeantur in solutum, vel in pignus cum similibus.

## ANNOT. Ad Disc. LXIV. & seqq.

AGitur in his discursibus de quæstione, an & quando cessio, vel assignatio facta dicatur pro solvendo, vel pro soluto ad effectum periculi, &c. Videantur deducta *sub tit. de Regal. disc.22. disc.27. disc. 134. & 135. hoc eod. tit. de cred.*

Penul-

Penultima ex decisionibus enunciatis *in disc. 65. habetur impress. dec. 343. p. 15. recent.* in cujus calce presupponitur, quod altera confirmativa *15. Decemb. 1670. erit in p. 6. rec.*

## NEAPOLITANA PECUNIARIA SEU CAMBIORUM PRO HIERONYMO, ET ANGELO DE PALLAVICINIS CUM VINCENTIO VELLUTO

*Casus variè decisus per Rotam.*

De eadem materia, an scilicet, & quando creditor, non obstante cessione, vel assignatione sibi facta per ejus debitorem de nominibus debitorum, vel aliis effectibus; contra eum regressum habere valeat, primævaque jura exercere; Et sic an cessio, vel assignatio, dicatur pro solvendo, vel pro soluto.

### SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De stylo Curiæ circa advocatos.*
4 *Litteræ Cambii, vel tractæ per nundinas habent viam executivam.*
5 *Idem de partitis banci in Civitatibus Panormitana, & Neapolitana.*
6 *Pro annona publica, seu re frumentaria Civitatis competit eadem via executiva.*
7 *An cessio, vel assignatio censeatur pro soluto, vel pro solvendo.*
8 *Quomodo in ista quæstione decidenda procedendum sit.*
9 *Subscriptio debet attendi, non autem corpus scripturæ.*
10 *Pro datione insolutum requiruntur eadem, quæ in venditione.*
11 *De partitantibus cum Principe, vel Republica, eorumque stylo.*
12 *Qui soleant hoc munus suscipere.*
13 *De distinctione verbi* far buono, *an in præterito, vel in futuro.*
14 *Verba negotiatorum sunt intelligenda pro eorum stylo.*
15 *De locis montium, vel juribus cum Principe, eorumque natura.*
16 & 17 *De eodem, & quid in eis operentur privatæ conventiones.*

### DISC. LXV.

Vincentius in Panormitana Civitate negotiator, cum pecuniis indigeret, pro implendo quodam partitum susceptum cum Regia Curia, accepit ad cambium à Pallavicinis ingentem summam scutorum 340. m. circiter, eis, vel eorum complementario assignatis quibusdam effectibus in causam dicti partiti per eamdem Regiam Curiam assignatis; Cum autem (juxta frequentem contingentiam) Regii Ministri, pro aliis Curiæ indigentiis, aliquos ex dictis effectibus de facto reasumpsissent, unde propterea creditores detecti remanserunt in summa scutorum circiter 30. m. auri, dictusque Vincentius, forsan imminenti defectione, juxta frequentem hujusmodi negotiorum usum, magis pro clypeo fori quam pro devotione, statum clericalem susceepisset; Hinc pro inde post aliqua acta in Curia Archiepiscopali Neapolis, devoluta causa ad Curiam coram A. C. ab isto ad favorem creditorum contra eum relaxatum fuit mandatum exequutivum, à quo, commissa per Signaturam causa appellationis in Rota coram Bourlemont, cum clausula suspensiva si quid exequendum, datoque solito dubio, ex rescripti ventre resultante, an mandatum esse exequendum sub diebus 29. Aprilis 1667. & 24 Februarii 1668. affirmativæ favore creditorum prodierunt resolutiones; Concessa verò nova audientia, recedendo à decisis, negativè favore debitoris responsum fuit sub diebus 3. Decembris 1668. & 16. Decembris 1670. atque in hoc statu causa pendet.

Ex his autem disputationibus, major inspectio erat facti potius quam juris, super calculis, ac satisfactione per debitorem allegata, super quibus (pro stylo) nullæ sunt partes Advocatorum, quorum munus propterea, incompatibiliter ad alia Tribunalia, nimium nobile, ac pro conscientia tutum est, cum ita cessent, tam pars mechanica videndi processum, ac se ingerendi in iis, quæ respiciunt factum, vel ordinem judicii, quam etiam occasio dicendi mendacia, vel calumniandi.

Quatenus verò pertinet ad ea, quæ juris sunt, in primis disputationibus actum fuit de concernentibus ordinem judicii, super competentia scil. viæ exequutivæ, quam tamen planum erat intrare, cum ageretur de literis cambii, quæ ex recepto communi usu habent hoc privilegium ex deduct. apud Otthob. *dec. 118. n. 5. &* 6. Et in specie quod 4
tractæ factæ pro reimbursatione in nundinis sint executivę firmat Rota in Rom. seu Januen. cambii 27. Novembris 1651. & 26. Junii 1652. coram Bichio *inter suas dec. 481. & 519.*

Et quoad quandam partitam banci, sive ut ibi dicitur, 5
tabulæ, pariter in eo Regno ex lege particulari, seu recepto stylo, hujusmodi partitæ habent viam exequutivam ex deductis per Amat. *ref. 57. n. 8. &* 9. Et est etiam receptum in Regno Neapolitano ex *prag. 1. de apocis*, ubi Rovit. & alii; Clarius verò quia proveniebat ex causa Annonæ, seu rei frumentariæ Civitatis, unde etiam de jure communi via exequutiva competit ad text. *in l. 2. §. frumentaria, ff. de administr. rer. ad Civit. pertinent. l. 1. & 2. C. de debit. Civit. l. 11. cum concord.* per Grat. *discep. 626. n.* 10. Rota 6
in Firmana pecuniaria 24. Junii 1647. coram Bich. *inter suas dec. 306.* adeout circa istum punctum ordinis, Scribentes pro debitore, post primas disputationes, darent manus victas, insistendo in alis disputationibus circa injustitiam, ex eo scil. quod debitum esset satisfactum mediante compensatione, seu assignatione dictorum effectuum Regiæ Curiæ per viam dationis in solutum; Ideoque major, ac penè tota quæstio fuit super puncto insinuato *disc. præc.* an scil. cessio, vel assignatio facta per debitorem creditori, censeretur pro solvendo, vel pro soluto.

In hoc autem puncto, Rota in primis decisionibus credi- 7
toribus favorabilibus, processit cum regula insinuata *eodem disc. præc.* ac firmata in ibi allegatis *dec. 47. p. 10. rec.* coram Royas *dec. 362.* ut censeatur pro solvendo, non autem pro soluto; In aliis autem posterioribus, admittendo regulam, ac effectus exindè resultantes, credidit ex facto jus variari, ob discretivam inter quasdam partitas, ut aliquæ scilicet in pignus, vel pro securitate assignatæ fuissent pro solvendo, aliæ verò pro soluto ob verba denotantia acceptilationem, seu bonificationem ibi, *vanno fatte buone*, cum ita dicatur species solutionis ad textum *in l. si debitor ff. qui potior. in pign. hab. cum concordant. dec. 511. n. 6. p. 2. rec. & dec. 494. n. 3. p. 4. tom. 2.*

Non negabam ego conclusionem super effectu exindè resultante, quatenus supponeretur, ita assignationem factam esse; Dicebam tamen (etiam in sensu veritatis;) quod in ista quæstione potius facti, & voluntatis, quam juris, procedendum est cum regula *eod. disc. præc.* insinuata, ut principaliter attendi debeat substantia verisimilis voluntatis 8
potius quam cortex, seu grammaticalis sensus verborum; Dictaque substantia voluntatis deducenda est ex omnibus facti circumstantiis simul junctis, totaque ejus massa inspecta, & pro natura, & qualitate assignamentorum, ac personarum, ipsiusque negotii, adeout fabulosum videatur, certam ac determinatam regulam desuper statuere.

Applicando autem ad rem, plura concurrebant, probabilius pro meo judicio, justificantia, ut hujusmodi assignamenta facta essent creditoribus pro cautela, seu pignore, ac etiam ut ita manu sua sibi satisfacerent, in causam tamen crediti, quodque hæc prævalerent unico argumento contrario ex dictis verbis deducto; Primò scilicet ex facto, quoniam licet apoca desuper confecta, in corpore continaret dicta verba, vel alia, quæ dationem in solutum importare possent, attamen subscriptio facta per creditorum ministrum, seu complementarium, diversimodè concepta erat, istaque attendenda est, utpotè perficiens actum, ut apud Cavaler. *dec. 99. n. 1. & decis. 133. n. 3. & in fine*; Ut 9
enim advertit Bart. *in l. testamento ff. de test.* relatus apud Capyc. Latr. *consult. 14. num. 100. ubi concordantes*, si scriptura conficiatur una die, subscribatur autem in altera, attendi debet tempus subscriptionis, quoniam ista perficit, ac animat actum, qui prius remanet in terminis simplicis præparationis.

Secundò quia datio insolutum est species emptionis, & 10
venditionis, cum qua in omnibus fraternizat, ideoque requiruntur eadem tria essentialia requisita, quæ in emptione, & venditione desiderantur, consensus scilicet, res certa, & pretium certum, ut in specie dationis in solutum plenè advertitur apud Burattr *dec.* 372. ac pluries insinuatur in aliis *hoc eod. tit.*

Utraque verò, rei, ac pretii certitudo in præsenti cessabat, quoniam cum mutuata fuisset sub cambiis pecunia in

summa



summa scutor. 340. m. cum conventione implendi tractas in nundinis, incertum erat, quid, & quantum remaneret debendum, ac etiam ipsorum effectuum nullum statutum fuerat pretium, sed habita conventione in genere bonificandi id, quod comperiretur ex eis devenisse ad manus creditorum.

11 Tertiò, pro meo judicio, nimium fortiter, ob hujusmodi negotiorum naturam, ac stylum; Negotiatores enim qui hujusmodi partitos faciunt cum Principe, vel Republica, magnum exindè lucrum sperant, atque de facto faciunt, ubi casus non præbeat hæc accidentia eis connaturalia, magnique lucri compensativa, adeout plures temporibus nostris viderimus brevi tempore per hanc viam ditissimos effectos esse, quamvis per eandem aliqui priorem statum, ac pejorem redierint; Lucrum verò hujusmodi partitantium, consistit in eo pluri, quod ab hujusmodi effectu ex conventione cum Principe, vel Republica lucrantur, ultra fructus, quo in ratione cambii limitati in summa moderata solvunt mutuantibus pecuniam promptè solvendam pro Principis, vel Reipublicæ indigentiis, cum hæc promptitudo, seu imminens ingentia producat conventiones partitantibus nimium proficuas; Ideoque cum negotium gestum esset per debitorem, ejusque socium in causam propriam, creditores autem mutuassent pecuniam, contenti solo emolumento cambiorum, hinc improprium erat, ut assignamenta sequi potuerint pro soluto, Tum ob amissionem majoris lucri; Tum etiam quia ita non poterat dari cursus cambiorum pro debito jam satisfacto.

Et quartò ex qualitate personarum, quod debitor, ejusque socii tanquam naturales, unius, vel alterius Regni, ibique negotium, ac domicilium habentes, facilius hæc ne-
12 gotia suscipere solent, atque ob spem magni lucri aleam suscipere, & hujusmodi periculis se exponere, quod facere non solent divites negotiatores exteri, qui in propria patria domicilium habent, pecunias verò ita sub cambiis, aliis negotiatoribus accommodant, istorum privatam fidem potius sequentes, contenti solo commodo cambiorum, alia verò lucra compensata cum hoc periculo, sunt ipsorum negotiantium &c. cum aliis circumstantiis facti hanc veritatem nimium probabilem reddentibus.

13 Et quoad dicta verba *fatte buone*; (Ultra quod semper facta arguentia substantiam diversæ voluntatis, magis prævalere debent verborum formalitatibus;) Advertebam, quod tunc istud verbum aptum esset id importare, quando prolatum esset in præterito, & sic relationem haberet ad actum jam sequutum, secus autem ubi in futurum pro actu faciendo, ut docet communis usus, qui justificabatur etiam per attestationes negotiantium, quibus dicebam deferendum esse ex recepta quotidiana propositione, quod verba mercatorum, & negotiantium intelligenda veniunt juxta eorum usus, & stylos, & prout ipsi intelligunt, non au-
14 tem juxta sensus grammaticorum, seu linguæ professorum ex plenè deductis *dec. 199. n. 7. & seqq. p. 10. rec.* Greg. *dec 126. n. 7. & passim.*

15 Constituebatur magnum fundamentum per Scribentes pro debitore Reo convento, in ea circumstantia, quod dicti effectus Regiæ Curiæ in libris publicis descripti essent in faciem, ac sub nomine ipsorum creditorum, unde dicebant ita clarè inferri ad dationem in solutum translativam dominii, ex quo de consequenti resultabat, ut ejus esse deberet periculum, cujus est dominium, stante vera, & recepta propositione, de qua pluries in sua sede *sub tit. de Regal. ad materiam locorum Montium*, quod hæc jura cum Principe, vel republica (quæ sub nomine locorum montium in Curia explicamus) dicuntur illius, sub cujus nomine in libris duplicis descripta sunt; Verum istud motivum meritò neglectum fuit, quoniam ex facti circumstantiis liquidò constabat, quod verè effectus pertinerent ad debitorem, & socios, ita descripti in faciem, vel sub nomine creditorum ratione subjectæ materiæ, ob quam sic, & non alias creditor assecurari potest, ob quam hujusmodi jurium connatu-
16 ralem libertatem, de qua pluries in dicta sua sede *sub tit. de Reg.* quod scilicet ille, in cujus faciem, seu nomen cantant, ubi in ipsismet libris, vel litteris vinculum expresè adjectum non est, admittitur per officiales ad id deputatos, ad eorum liberam resignationem, atque in resignatarium transeunt libera ab omnibus hypothecis, & vinculis; Unde propterea debitor, nisi adhibeatur ista cautela, de facili posset eludere creditorem, cui pro securitate, ac loco pignoris hujusmodi jura pro solvendo cessisset, cum privatum factum Partium extra ipsos libros publicos, ac litteras desuper expediri solitas, in nihilo attendatur, nulliusque sit operationis ut in dicta sua materia plures; Ideoque talis esse solet praxis, ut quando debitor vult dare creditori loca montium in pignus pro sola cautela, eorum commodo, & incommodo ipsi debitori cedente, adhuc tamen dicta ratione procedi solet cum formali resignatione per Secretarium acceptata, & descriptione resignatarii in libris, tanquam per speciem dominii sub conventione privata inter eos retrocedendi, sequuta satisfactione.

Quamvis enim hujusmodi privatæ conventiones in his 17
juribus Regalibus in libero privato commercio non existentibus, absque auctoritate, vel assensu ejus, ad quem pertinet, in nulla consideratione habeantur, attamen id percutit jus tertii, qui cum auctoritate officialis jus in eis quærat, non autem inter ipsas Partes ex earum conventione, quæ in hujusmodi juribus non producit quidem jus reale, sed bene actionem personalem pro observantia ejus, quod conventum est, seu ad quanti interest, ut clarè disponitur *in Constitutione 154. Urb. VIII. de qua pluries d. tit. de Regalib.* ad materiam locorum montium; Ideoque generaliter concludendo, ista est quæstio facti, ex istius qualitate, ac particularibus circumstantiis recipiens determinationem &c.

## ROMANA PECUNIARIA SEU ADJECTIS PRO FRANCISCO GOZZADINO CUM NICOLAO CONDESTAULO

*Casus disputatus coram A. C. & in Signatura resolutus pro Nicolao.*

An creditor actionem habeat contra debitorem ex primævo jure, seu causa, non obstante solutione, quæ facta sit adjecto, non in pecunia, sed in alia re; Et an adjectus, recipiendo rem pro re, liberet debitorem; Et quando bona per debitorem creditori data censeantur in solutum, vel in pignus.

### SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Adjectus non potest recipere aliud pro alio.*
3 *Quando solutio præcisè fieri debeat in pecunia, & non admittatur alia species.*
4 *Quandoque prodeunt resolutiones ex motivis incogitatis.*
5 *An debitore dante bona creditori, censeantur data in solutum, vel in pignus.*
6 *De eodem, ac distinctione bonorum.*
7 *Declaratur conclusio, de qua n. 2.*
8 *An adjecto solvi possit in diverso loco, & an in diversa re.*
9 *De materia obligationis solvendi, in una specie monetæ, an impleri possit in alia moneta.*

### DISC. LXVI.

Recepit Franciscus Episcopus Zanti, à Nicolao in 1
Urbe quandam summam, cum obligatione solvendi Gaspari ejusdem Nicolai fratri in quodam loco maris Egei æquivalentiam in ea moneta argentea Hispanica, quæ vulgò nuncupatur *pezze da otto*; Verum Angelottus Francisci pater, ac mandatarius, loco dictæ pecuniæ, tradidit Gaspari quasdam merces sericas; Hoc autem non obstante, Nicolaus arcta sanguinis ratione conjunctus, ex justo fine, ita completo, ut ejusdem Episcopi soror cum dictis mercibus, ita collusive sequestratis in partibus, eundem Franciscum in Curia adhuc existentem pulsavit coram A. C. pro restitutione acceptæ pecuniæ, atque obtinuit mandatum exequutivum, à Signatura Justitiæ canonizatum cum clausula *sine præjudicio exequutionis* quæ liti finem dedit.

In disputationibus autem desuper habitis in utroque Tribunali, duo dicebantur ex parte actoris; Primò scilicet quod dictæ merces datæ non fuissent præfato Gaspari pro soluto, ac loco pecuniæ, sed potius in pignus, & loco cautionis, donec sequuta venditione, pretium in conventam monetam redigendum solveretur, quodque proterea, dum ad instantiam sororis ipsius Francisci ut supra, eædem merces extractæ fuerant, eidemque à Judice in causam dotis adjudicatæ, ita habendum esset, ac si nullatenus traditæ fuissent, neque obligatio impleta; Et secundò quod adjectus, aliud pro alio contra creditoris intentionem recipere non potest juxta *cons. 95* Alex. *n. 7. & seqq.*

nem

*lib.* 3. à quo cæteri desumunt procedentes cum regula *text. in l. quod stipulatus ff. de solut.* cum concordantibus per Surd. *dec.* 226. *num.* 27. Capyc. Latr. *dec.* 8. *num.* 5. & 6. ut adjectus solutioni, non nisi istam veram, ac effectivam recipere valeat, neque alias debitor liberetur.

3 Clarius verò, dum conventum non fuerat de solutione in genere, unde propterea quælibet species sufficeret, sed de certa, & præcisa moneta juxta doctrinam Bart. *in l. satisfactio*, & clarius *in l. solutionis ff. de solutionibus*, ubi quod licet juxta dispositionem ejusdem text. *in l. solutionis*, ista fieri dicatur, non solum per traditionem pecuniæ, sed etiam per quemcumque alium actum æquipollentem, attamen ubi verbo *solvere* adjectus est certus resolutionis modus, puta, quia dictum sit *in pecunia*, tunc tale verbum strictè intelligendum est, ut nonnisi vera, & naturalis pecuniæ traditio admittatur; Multò verò magis, ubi non solum dictum est pecunia in genere, sed conventum est de certa specie monetæ, unde præscripta fuit certa forma; Ad idem ponderando ea, quæ habemus recepta, & quotidiana in materia census, qui ad præscriptum Constitutionis Pii V. in pecunia creandus est, quoniam creari non potest in mercibus, sive altero modo, qui de jure sufficeret ad solutionem, licèt pecuniæ æquivaleat.

Mihi scribenti pro Francisco Reo convento, non improbabilis visa est resolutio, potius humano, quam legali sensu attento, ex quadam scilicet non scripta æquitate, ob quam dictus Gaspar adjectus, cum quadam laudabili deceptione, ex motivo charitatis, curavit, ut ob deficientiam patris, frater Episcopus, qui alias renuebat, atque attenta loci, & personarum qualitate, de facto impossibilis coactionis erat, sorori dotale subsidium daret, atque cum hoc
4 sensu processerunt tam Judex, quam Signatura, unde edocemur sæpius contingere id, quod insinuat Rovit. *dec.* 49. *n.* 13. ac alibi advertitur, quod sæpè prodeunt resolutiones ex motivis ignotis ipsismet Advocatis, ac defensoribus.

De stricto autem juris rigore, contrarium probabilius dici debuisset; Quatenus enim pertinet ad primum fundamentum, quod dictæ merces potius in pignus, quam in
5 solutum datæ essent; Quamvis ut advertitur *infra disc.* 135. ubi agitur de ista quæstione, an debitore simpliciter dante aliqua bona creditori, ea data censeantur potius in pignus, quam in solutum, vel è contra; Ista sit quæstio potius facti, quam juris, ex conjecturis, aliisque facti circumstantiis, decidenda, quodque his cessantibus, in dubio actus, pignori potius referri debeat, quam dationi in solutum, ob deficientiam certi pretii, quod est unum ex essentialibus requisitis emptionis, & venditionis, cujus jure in omnibus, regulatur datio in solutum, ut sæpius in præcedentibus, ac in sequentibus advertitur.

Attamen id procedere viderur in bonis stabilibus, seu alias talis qualitatis, quod in eis cadat pretium affectionis, seu alias cessante partium conventione, sit omninò incertum indigens formali probatione de sui natura potius difficili, juxta ea, quæ in hac materia probationis pretii, seu
6 valoris ad effectum regulandi læsionem, habentur in sua materia *sub tit. de empt. & vendit.* Secus autem ubi agatur de mercibus, seu victualibus, ac aliis bonis hujusmodi in communi currenti commercio existentibus pro pretio quodammodo uniformi, à publico usu quandam taxam cum modica variatione recipiente, ut occasione pretii frumenti, & similium rerum advertitur *in eod. tit. de empt. & vend.* ac etiam *sub tit. de Regal. disc.* 125. *& alibi*, ac infra *d. disc.* 135. occasione agendi de traditione per debitorem simpliciter facta creditori de quibusdam ovibus, dum ad excludendam dationem in solutum, atque concludendum pignus, facti circumstantiæ principaliter ponderabantur, eo quia in hujusmodi bonis, datio in pignus non de facili congruit, præterquam ubi agatur de mutuo faciendo sub pignore loco cautionis pro facti qualitate; Cum etenim oportuisset, ut præfatus debitoris pater, & mandatarius, accidentaliter in loco existens, ad breve tempus ad Urbem reversurus cum classe triremium Pontificiarum venderet dictas merces negotiatoribus lucrum facere dantibus pro aliquo minori pretio, & cum expensis mercedis proxenetæ, aliisque incommodis, ad effectum exindè retrahendi pretium creditori solvendum, hinc nimium probabile erat, ut idem creditor pro majori commoditate, ac etiam pro aliquo lucro resultante è magis opportuna diminuta venditione, easdem merces loco pecuniæ recepisset, ut aliquæ etiam facti circumstantiæ comprobabant, adeout nisi dictum non scriptæ æquitatis motivum aliter suasisset, pro hac parte omninò judicari debuisset, ut idem doctus Judex mihi insinuavit.

Quoverò ad alterum motivum, ut adjecto aliud pro alio 7
solvi non potuerit, juxta doctrinam Bartoli *in l. solutionis, & in l. satisfactio ff. de solution.* Advertebam conclusionem esse veram, sed quod fallacia consistebat in applicatione; Procedit enim ad effectum excludendi eam fictam solutionem, quæ ex juris dispositione reguletur sufficit, resultantem ab acceptilatione, sive à receptione cessionis alicujus nominis debitoris minus idonei, cum similibus, undè propterea resultaret, quod factum adjecti, in quandam speciem donationis, vel remissionis resolveretur; Secus autem ubi loco pecuniæ numeratæ, veræ, & effectivæ, alia bona tradantur, quæ pecuniæ æquipolleant, ut benè ita distinguendo advertit Paris. *cons.* 107. *numer.* 132. *lib.* 3. ubi quod Bartoli doctrina ita perneccesè intelligenda est; Atque in eodem sensu loquitur Alex. *d. cons.* 95. *l.* 3. ub scilicet adjectus loco pecuniæ recepisset nomen debitoris omninò inutile, ob decoctionem, cum aliàs nulla subsit ratio dubitandi, quoties nil interest, magis uno, quam altero modo solutionem impleri, quoties ista sit vera, & effectiva, non autem ficta, ac intellectualis, ita etiam communi usu docente.

Ad quod ponderabam *text. in l.* 3. *§. item Juhanus ff. de eo quod certo loco*, ubi disponitur quod solvens adjecto alibi, 8
quam in loco destinato, non tenetur erga creditorem nisi solum ad id, quod interest solutionem magis in uno, quam in altero loco sequutam esse, non autem ad id, quod revera solutum est, atque advertunt *ibid.* Bartol. Castrens. Jason. & cæteri, de quibus Stracca *de adjecti. p.* 2. *n.* 61. Et præsertim Jason. *n.* 2. advertit idem procedere respectu rei, quoniam in iis, quæ in dando consistunt, atque habent veritatem facti, tunc variatio specierum non immutat substantiam solutionis, quæ solum percutit id, quod interest, magis in una, quam in altera specie obligationem impletam esse.

Et quamvis Scribentes pro actore, freti dicta doctrina Bartoli insisterent in eo, quod dictum non esset, ut solutio fieri deberet in pecunia in genere, cujus loco quodlibet æquipollens admittendum venit, sed de certa, & præcisa speciæ moneræ, unde propterea dicebant, quod ita cessabat omnis difficultas; Attamen non erat motivum considerabile, quoniam de dicta specie monetæ conventum erat ad solum effectum, ut haberetur in loco æquivalentia apta illis usibus, pro quibus introducta est pecunia, nè scilicet solveretur in pecunia, quæ in loco non curreret, adeout inutilis remaneret; Unde propterea, quando per æquipollens idem adimpletur, adeout nil interfit, in una, vel in altera specie haberi, id nil refert, ut habetur *sub titul. de pensionib.* in proposito pensionis solvendæ in 9
8 ducatis Cameræ, vel in scutis auri stamparum, quod si in loco ista species monetæ non sit frequens, admittitur debitor ad solvendum in moneta regionis, quæ æquivaleat, ac etiam habetur *sub tit. de Regal. disc.* 125. *& seqq.* & alibi.

## ANNOT. AD DISC. LXVI.

De iis quæ concernunt materiam Adjecti in ordine ad solutiones, *Vid. sub tit. de Societ. offic. discur.* 1. & in sua sede *sub tit. de Camb. disc.* 33. *& in hoc eod. tit. de Cred. disc.* 163.

## ROMANA
## SEU TERRACINEN. PRETII BUBULARUM
## PRO RICCARDIS
## CUM VALLETTIS.

*Casus disputatus coram A.C. incertus est exitus.*

An transfusio unius contractus in alterum incompatibilem, tollat primævas obligationes, & hypothecas, quas creditor exercere valeat, necnè; Et quid in hoc operetur protestatio, sive priorum jurium reservatio.

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Novatio hodie non inducitur nisi expressè dicatur, vel quod incompatibilitas eam inducat.*
3 *Novatio non datur sine voluntate, ideoque protestatio eam excludit.*





4 *Declaratur data compatibilitate, & de reviviscentia jurium sequuta evictione rei datæ insolutum.*
5 *Quod protestatio non suffragetur, ubi obstet incompatibilitas.*
6 *An verba contraria facto attendantur, necnè.*
7 *Quando adesse dicatur compatibilitas, vel incompatibilitas inter unum contractum, & alterum, præsertim locationis, & venditionis.*
8 *De eodem, & quomodo dari valeat compatibilitas, ob quam protestatio suffragetur.*

## DISC. XLVII.

1 Locarunt Riccardi armentum bubularum Benedicto, & Joanni Matthæo de Vallettis, quibus defunctis, locatione adhuc durante, illud vendiderunt Carolo, aliisque conductorum hæredibus habita fide de pretio, cum priorum jurium reservatione; Mortuis autem etiam dictis hæredibus fideicommisso gravatis, dictoque armento distracto, nec amplius in rerum natura existente, Riccardi in vim obligationis contractæ per dictos Benedictum, & Jo: Matthæum conductores, à quibus, vel eorum altero, fideicommissum ordinatum erat, contra fideicommissarios tanquam pro debito fideicommittentis judicium coram A. C. instituerunt, incertusque est ejus exitus, dum post plures disputationes, circa professionis initia, desuper habitas, non audivi amplius actum de causa, cui forsan concordia finem dedit.

In his disputationibus Scribentes pro fideicommissariis Reis conventis, Dicebant, quod per secundum contractum emptionis, & venditionis, habita fide de pretio, omninò novatus fuerat primus locationis, ob implicantiam, ut quis rei suæ conductor existat.

Licèt enim attento jure novo *text. in l. fi. C. de novat.* regula sit ut novatio hodie non inducatur, nisi expressè ita
2 dicatur, undè propterea per hunc textum sublata fuit illa tacita, seu implicita novatio, quæ ex jure Digestorum, ac etiam Codicis, ante istius legis editionem de facili resultabat; Attamen ubi accedat ratio implicantiæ, ac omnimodæ incompatibilitatis, etiam hodiè dicti novi juris dispositione non obstante, novatio inducitur ex collectis per Ciroch. *discept.* 11. *n.* 29. & Amat. *resol.* 50. *n.* 4. & habetur apud Capyc. Latr. *consult.* 120. *n.* 3. 9. *& seq.* Rot. *dec.* 252. *n.* 12. *p.* 11. *rec.*

Et quamvis hic secundus contractus expressam contineret reservationem priorum jurium, ex altero locationis, & conductionis resultantium, undè propterea Ego scribens pro actoribus dicebam, quod novatio omninò exclusa remanebat, quoniam cum ista pendeat à voluntate explicitè, vel saltem implicitè à lege subintellecta, impossibile est eam dare absque dicta voluntate, quæ in contrarium expressè declarata sit, ultrà generalem quo-
3 tidianam regulam deductam ex *textu in l. ille, aut ille ff. de legat.* 3. quod in claris, & expressis non intrant præsumptiones, & argumenta, quam regulam in proposito actuum inter vivos latè exornat Rot. *dec.* 44. *num.* 14. *p.* 11. *recent.* In specie excludendi novationem ob priorum jurium reservationem, seu aliam contrariam protestationem probat *text. in l. si solutum ff. de pignorat. act. & l. si debitor §. si in venditione ff. quib. mod. pign. vel hypothec. solvat. gloss. magistralis in l. eleganter ff. de pignorat. action.* ubi Bartol. Bald. & alii collecti per Amat. *d. resol.* 50. *num.* 12. *cum seq.* Merlin. *de pignor. lib.* 5. *qu.* 30. *n.* 19. *cum seq.* Rot. apud Otthob. *dec.* 131. *num.* 10.

4 Respondebant, id procedere, data compatibilitate, qualis verificatur in casu, in quo frequentiùs de ista quæstione disputari contingit, ubi scilicet creditori per debitorem dentur bona, vel jura insolutum, quæ posteà evincantur, undè propterea intret quæstio, pluries insinuata, an ob evictionem reviviscant primæva jura extincta per dationem insolutum, quæ vicem solutionis habet, quoniam ubi dicta priorum jurium reservatio accedit, tunc quæstio cessat, dictaque jura in censu omnium reviviscunt compatibiliter, quia nempè insolutum datio conditionaliter acceptata fuit, quatenus scilicet bona, vel jura insolutum data, perpetuo, ac irrevocabiliter efficiatur creditoris, & non aliàs, undè propterea conditione defecta, tanquam ex deficiente voluntate ab initio, causa reducitur ad non causam, perindè ac si actus sequutus non esset, & consequenter, citrà incompatibilitatem, primævorum jurium duratio est verificabilis, illaque ita potiùs suspensa fuerunt, quàm extincta, atque, ut nostri dicunt, reviviscunt potiùs tanquam à somno, quàm tanquam à morte; Adinstar illius confusionis jurium, & actionum, quæ resultat per additionem hæreditatis conditionaliter, seu revocabiliter quæsitæ cum similibus.

Secus autem, ubi secundus contractus, vel secunda in- 5
compatibilis causa debendi adhuc durat, adeout non intret dicta ratio resolutionis, vel reductionis causæ ad non causam, quoniam tunc dicitur protestatio contraria facto, atq; intrat manifesta ratio incompatibilitatis, quę impedit protestationis effectum, juxta receptam doctrinam Bartoli *in l. non solum, §. morte n.* 17. *ff. de novo. oper. nunc. cum concord.* plenè collectis per Barbosam *axiom.* 194.

Ac juxtà doctrinam Baldi *in l. pacta novissima, C. de pa-* 6
*ctis*, quod scilicet, si verba uno modo explicentur, sed factum sit omninò contrarium, & incompatibile, tunc potiùs attendi debet factum, quàm verba; Atque pro intelligentia hujus doctrinæ nimium immoratum fuit super distinctionibus desuper tradi solitis per Scribentes, præsertim per Rip. *in c. cum me de constit. n.* 70. *cum seqq.* & per Rota *dec.* 218. *n.* 3. *& 4. p.* 5. *rec.* an scilicet verba præcedant, & factum subsequatur, sive an protestatio, quæ factis contraria est, fiat præsente, vel absente altera Parte, & an sola præsentia cum silentio sufficiat, quo casu distingui solet inter jus quæsitum, vel quærendum, sive inter novum actum positivum, novamq; obligationem inducendum, & actum negativum novationis, unde non inducatur nova obligatio, sed solùm præservetur antiqua, atque super his multa hinc indè inculcabantur.

Dicebam tamen, quod (pro meo judicio) hujusmodi la- 7
bores viderentur inanes, cum hæc procedant, dato præsupposito incompatibilitatis, qualis in hac facti specie tunc adesse diceretur, quando peterentur pensiones decursæ in vim primi contractus locationis, ex tempore, quo sequutus fuit alter contractus emptionis, & venditionis, purus, ac perfectus, & non resolutus, quoniam tunc implicantia est manifesta, quæ tolli non potest per contrariam verbalem protestationem contrariam facto, eo quia non potest quis esse dominus, & conductor rei propriæ; Eatenus enim contractus locationis reviviscere potest, suamque durationem habere, non obstante secundo incompatibili contractu emptionis & venditionis, quatenus iste secundus resolvatur, quia nempè ob retractum vicino, vel consanguineo, seu consorti, aut inquilino competentem, vel ex alio accidenti, emptor desinat esse talis, ejusque jus resolvatur, ut tunc juxtà unam opinionem rectè emptor reassumat primam personam conductoris, atque reviviscat primus contractus ex deductis per Surd. & Hodiern. *dec.* 51. Cyriac. *contr.* 500. *n.* 24. ubi plures allegantur.

Ubi verò priorum jurium reservatio non sit circà pensionum decursum, aliosq; effectus ex primo locationis contractu resultantes, sed sit circà obligationem, quæ conductori incumbit, etiam post finitam locationem, restituendi ipsam rem locatam, tunc non videtur adesse incompatibilitas, quasi quod per secundum contractum emptionis & venditionis cessaverit primus locationis pro cursu pensionum, aliisque effectibus exindè resultantibus, non tamen cessat dicta obligatio restituendi rem locatam, juxtà eam distinctionem, quæ in proposito obligationis fidejussoris contrahendæ ad relocationem, ut intelligatur quoad pensiones posteà decursas, non autem quoad obligationem restituendi ipsam rem locatam, habetur *sub tit. de locat. & conduct. disc.* 36.

Ideoque cum aliàs, non data contraria protestatione, per novationem resultaret de jure implicita restitutio rei, 8
facta per conductorem locatori, qui deinde brevi manu eamdem ipsimet conductori, tanquam repræsentandi diversam personam, ex diverso titulo tradiderit juxtà connaturalem novationis effectum, istam legis fictionem, dicta contraria protestatio tollere videtur, adinstar illius reservationis dominii, quam venditor faciat, donec sequatur pretii integra solutio, ex pluries deductis in præcedentibus, quod scilicet, quamvis ista reservatio incompatibilis videatur cum periculo rei venditæ, quod esse debeat emptoris, non autem venditoris, undè propterea plerique, præsertim Morales occasione agendi de fructibus recompensativis, in hoc nimium se involverint, fingendo interim quamdam locationem & conductionem, ut advertitur etiam *sub tit. de usuris*, ubi de materia hujusmodi fructuum ad terminos *text. in l. curabit, C. de action. empti*, Attamen ex veriori, ac in foro magis recepta opinione, dicta reservatio ad quemdam effectum tantùm est rectè compatibilis, ut in præcedentibus *hoc eod. tit.* advertitur, occasione agendi de potioritate resultante à dicta reservatio-

vatione dominii; Sic à pari, nil implicare videtur, ut in transfusione unius contractus in alterum incompatibilem, dari quidem non possit reservatio effectuum aliàs resultantium à primo contractu, tanquam vivo & durante, benè tamen dari possit præservatio illorum effectuum, qui etiam eo contractu finito durant, ac perseverant, ita novando potiùs modum possidendi, quàm remittendo primævam obligationem, Adhuc tamen occasio non dedit id maturius disputare, atque judicium pro veritate desuper efformare, cum illa traditio, quæ data effectuatione secundi contractus emptionis, & venditionis inesse dicitur, aliquam inserre videatur dubitandi rationem, ut dicta obligatio restituendi rem locatam impleta dici valeat.

## ANNOT. AD DISC. LXVII.

De novatione, quando inducta dicatur, necnè, habetur alibi *hoc eo.tit.præsertim disc.77.78.&79.de Feud.disc.123.de Regal.disc.9.& 33.tit.de Dote disc. 28.* & latiùs *disc. 159.n.22.& disc.161.n.40.eod.tit.*

## ROMANA FALSITATIS ORDINUM RRO MONTE PIETATIS CUM COLLEGIO ORPHANORUM,

*Casus disputatus coram Judice particulari Montis, ubi pendet.*

An creditor actionem habeat contrà debitorem, non obstante solutione vera, & effectiva, quam debitor fecerit cum ordinibus ipsius creditoris, qui falsi, vel alterati detegantur; Sive ubi solutio fiat famulo, vel alteri, cujus opera creditor uti solebat, præsertim si afferat aliquod signum.

Et quatenus debitor non liberetur, quid dicendum sit in depositario ita depositum restituente; Et quæ differentia sit inter depositarium, & simplicem debitorem; Et de diversis speciebus depositarii.

### SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quod allegantì ordines esse veros, quorum vigore solutum est, incumbat probatio.*
3 *Declaratur quando secus.*
4 *De conclusione, an solvens in vim ordinis falsi liberetur, refertur utraque opinio cum distinctione.*
5 *De doctrina punctuali favore solventis, & de doctrinis contrariis.*
6 *De distinctione inter bancum publicum, vel privatum.*
7 *De privilegio creditorum ex causa depositi.*
8 *De antiquo usu depositorum in templo.*
9 *Quando depositum dicatur regulare, vel irregulare.*
10 *De quo teneatur depositarius regularis.*
11 *An usus pecuniæ depositatæ obstet.*
12 *Refertur casus* dec. Rotæ 76. post consil. Farinac.
13 *Quod periculum pecuniæ depositatæ non sit depositarii, vel custodis.*
14 *De statuto Montis pietatis Urbis.*
15 *De ratione dicti statuti.*
16 *De privilegio Judæorum in pignoribus.*
17 *De solvente creditori putativo.*
18 *Quid referat, an agatur de creditore privato, vel pio loco sub administratoribus vivente.*
19 *Dominus tenetur de facto ministri, vel famuli circa opus, cui est præpositus.*
20 *De differentia inter actionem, & exceptionem.*
21 *Verificatio in parte sufficit pro toto.*
22 *In concursu culparum, quæ prævaleat.*
23 *Libri veteres bancarum solent spoliari, & residua transportari in novos.*
24 *Si reprobetur pecunia, an cedat damno bancherii.*
25 *Appellator gabellarum solvit de pecunia reproba, in qua gabellas exigit.*
26 *De conclusione solventis cum ordinibus falsis.*
27 *Quid si cum ordinibus, vel signis veris.*
28 *De alio casu, in quo fuit excusatus solvens cũ ordine falso*
29 *De mandato præsumpto ad effectũ excusandi solventem.*

## DISC. XXI.

1 Cum Administratores Collegii Orphanorum, juxtà serè generalem stylum aliorum piorum locorum, pecunias deponere soliti essent in banco Montis pietatis, cum computo currenti dati, & accepti, undè propterea (juxta reciprocam fidem, & commoditatem insinuatam *supra disc. 25.*) quemadmodum aliquando bancum notabilem pecuniæ quantitatem deponentium habet, ità è converso eorum ordines implet, quamvis pecunia non adsit, ob futuram reintegrationem; Casus autem dedisset, quod ejusdem Collegii Ratiocinator, seu scripturalis, solitus in ipsius Collegii libris adnotare data, & accepta, ac etiam ejus manu conficere ordines, administratoribus subscribendos, pro solutionibus à banco faciendis, artificibus, ac venditoribus victualium, aliisque ejusdem Collegii creditoribus, in aliquibus ordinibus subscriptionem administratorum benè eorum caractere imitato, ut prætendebatur, falsificasset; Hinc proindè in solidatione computorum, dicti Administratores prætendere cœperunt non bonificare partitas in hujusmodi ordinibus contentas; Quare orta desuper lite, atque introducta causa coram ejusdem Montis Judice particulari, pluribus desuper habitis disputationibus, nulla adhuc capta fuit resolutio.

Duas autem inspectiones habeat ista controversia, Unam facti, an scilicet constaret de prætensa, seu præsupposita falsitate ordinum, Et alteram, dictæ juris; scilicet falsitatis sufficienti justificatione præsupposita, cujus damno id cedere deberet.

Prima inspectio erat potiùs facti, quàm juris, illaque magis suspensam tenuit causæ resolutionem; Quamvis enim (Judice motivante) assumpta fuerit disputatio, cuinam incumberet onus probandi controversorum ordinum veritatem, vel falsitatem respectivè; Atque ubi omnes ordines prætenderentur falsi, ut frequenter contingit in quæstionibus cadentibus super unica solutione in vim unius ordinis facta; Ego scribens pro Monte, admitterem, quod onus allegans solutionem in vim ordinis, esse debeat, probare veritatem illius scripturæ, quam allegat pro fundamento suæ exceptionis, in qua dicitur actor, dum aliàs creditor fundatam habet intentionem in partitis depositi in libris ejusdem Montis descriptis, ex vulgari quotidiano axiomate, quod ubi actor clarè fundatam habet ejus intentionem, vel actionem, Reus qui ad jam fundatam actionem elidendam, exceptionem allegat, in ista dicitur actor, illamque plenè & concludenter justificare tenetur ex deductis apud Mantic. *decis. 251.* Greg. & add. *decis. 228.& passim.* 2

Attamen id inapplicabile videbatur ad hanc facti speciem, ob magnam ordinum multiplicitatem, quorum major pars admittebatur tanquam vera, illi autem, qui supponebantur falsi, comparativè ad veros, erant in nimium modico numero, non continuati, sed cum veris interfecati, ac adeò benè imitati, ut neque ab ipsismet administratoribus inter plures distingui possent, sed distinctio deducebatur, seu falsitas desumebatur ob confrontationem cum propriis libris, in quibus partitæ in eis contentæ adnotatæ non erant. 3

Quoverò ad alterum punctum juris, an scilicèt præsupposita justificatione, quod ordines essent falsi, cujus damno id cederet; Scribentes pro Collegio dicebant, casum esse planum favore ipsius Collegii, ex iis, quæ cæteris relatis habentur in specie firmata per Franch. *dec. 304.* & per Rot. *dec. 76. post secundum vol. cons.* Farinac. ex auctoribus Castr. Alciat. & aliorum, quos colligunt Amat. *lib. 1. var. c. 20. n. 1. & per tot.* & Olea *de cession. jur. tit. 3. q. 7. n. 20.* & præsertim Scac. qui ex professo materiam tractat *in tractatu de Camb. §. 2. gloss. 5. q. 13. n. 142. cum seqq.* 4

Apud quos habetur distinctio, quod, aut agitur de deposito regulari, tunc, ubi falsitas sit adeo latens, quod depositarius citrà culpam aliquam, de bona fide solverit (qualis verè erat casus præsentis controversiæ,) & tunc solvens liberetur, ex ea ratione, quod iste dicitur casus fortuitus, qui cedere deponentem esse dicitur, ex iis, quæ in hac materia depositi habentur suprà *disc. 25.* Ideoque depositarius non teneatur nisi de culpa, quia nempè ex inspectione ordinis, vel scripturæ pateat de falsitate, vel de alia alteratione, quæ frequenter contingere solet etiam in scripturis veris, alterando numeros bancales, seu arithmeticos, sive alterando diem juxtà casum, de quo agitur apud Ang. *cons. 370.* quod est in materia celebre.

Aut verò agitur de deposito irregulari, quale videtur illud, quod in bancis, vel tabulis, aut aliàs penes campsores fieri solet, quia nempè deposita pecunia confundatur cum illa ipsius depositarii; Et tunc quia, ut patet ex suprà allegati, ac aliis, de quibus *d. disc. 25.* in effectu banche-



rius, vel campsor esse dicitur debitor quantitatis, atque depositum quandam mutui speciem redolet, hinc proindè ex eadem superiùs insinuata ratione, quod (exclusa) id casus fortuiti speciem habeat, iste tanquam sequela dominii, pertineat ad pecuniarum dominum, qualis est depositarius, non autem deponens.

Scribens ego pro Monte, quatenus pertinet ad eam partem, in qua agebatur de liberatione à reiterata solutione pecuniæ depositatæ, ut benè soluta esset (etiam in sensu veritatis) dicebam pro Monte, seu banco omninò respondendum esse, deducendo punctualiter deducta *per modernum* Magrett. *in dec. 6. post observat. ad novas pragmat. Regni Siciliæ*, ubi ponendo casum in terminis, atque deducendo plura fundamenta hinc indè, in fine *num. 40.* refert, quod M.R.C. ad favorem banci, seu tabulæ inclinabat, quodque decisio de facto ita sequuta est, ex eo, quod actor id agnoscendo, litem deseruit. 5

Quamvis autem juxtà modernum pragmaticum abusum, hæc auctoritas punctualis aliquam faceret impressionem, attamen majorem in contrarium faciebat auctoritas Rotæ *d. dec. 76. post sec. vol. cons.* Farinac. atque stantibus tot aliis auctoritatibus, præsertim illa Sacri Consilii Neapolitani, de qua apud Franc. *d. decis. 304.* quodque in eadem Civitate Panormitana, ipsaque tabula, de qua loquitur Magrett. contrarium alias decisum fuisse testetur Amat. *dicta resol. 2.* Judex dubitabat.

Hinc proindè, tam ad satisfaciendum dictis auctoritatibus, quæ magis urgebant, quàm etiam ad satisfaciendum proprio stylo, ac genio, nimium abhorrentibus hunc insipidum morem jurandi in fide doctrinarum punctualium, illas non examinando; Duas efformabam inspectiones; Unam generalem in puncto juris communis cuicumque banco, vel depositario convenientem; Et alteram particularem resultantem ex privilegiis, ac statutis istius Montis, vel banci.

Quoad primam, deducebam eamdem distinctionem, quæ insinuata habetur suprà *dict. disc. 25.* inter ea deposita, quæ fiunt in bancis verè publicis, principaliter erectis à Principe, vel Republica, non in gratiam campsoris, vel bancherii pro ejus industria, sed pro publica commoditate; Et illa, quæ fiunt in bancis, vel tabulis privatis principaliter apertis, ac tentis per campsores, & negotiatores ad instantiam, ac utilitatem privatam. 6

Isto etenim secundo casu, cum pecunia, quæ deponitur in banco, non detineatur solum custodiæ causa in gratiam deponentium, & pro publica utilitate, vel commoditate, sed campsores illa uti soleant, eorumque industria consistat in utilitate, quæ resultat ex usu pecuniæ, quæ quoad deponentes interim ibi otiosa remanet, hinc rectè procedit dicta distinctio depositi regularis, & irregularis, quodque in secunda specie, iste casus cedere debeat periculo campsoris, vel bancherii, qui aperiendo bancum, hanc aleam suscepit, ità isto periculo compensato remanente cum lucro, seu commodo, quod facit de aliena pecunia, Ac etiam, quia in effectu istud dicitur potiùs debitum quantitatis, vel quædam species mutui implicita, seù virtualis, quam depositum, quamvis in concursu cum aliis creditoribus, aliquod habeat privilegium, de quo supra *dicto disc. 25.* 7

Ubi verò agitur de secunda specie banci erecti per sacram ædem cum publica auctoritate, ac pro publica utilitate & commoditate, præsertim depositorum judicialium, ac etiam Ecclesiarum, pupillorum, & verborum &c. Administrat illorum depositorum, quæ fiebant in templo Hierosolymitano, de quibus *lib. 2.* Machabæorum *cap. 3.* quod scilicet Eliodoro Regis Seleuci ministro petente ab Onia summo Sacerdote pecunias, quas à Simone Oniæ æmulo Regi denunciatum fuerat ibi in magna quantitate repositas esse, respondit Pontifex esse deposita pupillorum, & viduarum, ac alterius divitis viri. 8

Et tunc dicebam, omninò verius esse, ut versaremur potius in prima parte distinctionis depositi regularis; Quamvis enim de juris apicibus, strictaque ejus censura, depositum regulare verè, & propriè dicatur illud, quod fiat in sacculo obsignato tanquam species, non autem, ubi in pecunia numerata, quæ cum alia ipsius bancherii, ac aliorum deponentium commisceatur, seu confundatur, Attamen ista confusio non fit in gratiam ipsius banci, sed pro majori commoditate publica ipsorummet deponentium, præsertim hujusmodi piorum locorum, in dies etiam climinutas facientium solutiones ex hujusmodi depositatis pecuniis, unde propterea ista publica commoditas impracticabilis esset cum præcisa, & rigorosa forma depositi regularis. 9

Et consequenter, nimium probabiliter dicendum venit, ut arcæ, & scrinia, in quibus pecuniæ in hujusmodi sacris ædibus sub diligenti custodia ejus officialium retinentur, principaliter in gratiam, & commoditatem deponentium, sint species sacularum obsignatorum, continentium pecunias omnium deponentium, ita invicem commixtas per quamdam speciem societatis, vel communionis, ita implicitè initæ per deponentes, qui ad commune commodum, hunc custodem, vel ministrum deputarunt eorum pecuniæ custodiæ; Ideoque magna differentia est inter hanc banci, vel depositarii speciem, ac alteram privati campsoris, id principaliter agentis ad privatum lucrum, privatamque industriam. 10

Ideoque ad aliud obligatus non videtur, nisi ad culpam, quæ versetur in non benè recognoscendo subscriptiones, & caracterem, sivè in non benè adimplendo leges depositi juxtà casus, de quibus *disc. sequenti*, ac etiam *sub titulo de tutor. & administr. libro præcedenti post tit. de alienat. & contract. disc. 15. & seq.* Quod adhuc magnum est onus tenentis bancum in gratiam, & commoditatem publicam. 11

Et quamvis motivaretur, quod administratores Montis, hujusmodi pecuniis, quandoque uti soleant, unde propterea applicare viderentur eadem, quæ suprà de privatis campsoribus habentur; Attamen id, pro meo judicio, nullum præbebat obstaculum; Tum quia usus esse solet de summa verisimiliter excedente deponentium opportunitatem, pro alio usu, & commoditate publica, mutuandi scilicet super pignoribus; Tum etiam, quia cum ipse Mons suum habeat peculium, distingui non potest, an usus sit magis ex pecunia aliena, quàm propria; Ideoque attendenda non est rigorosa leguleica formalitas circa pecuniarum dominium, quod à mixtura, seu confusione cum pecunia propria resultet, sed attendi debet substantia veritatis, quæ consistit in dicta distinctione, an bancum teneatur principaliter pro usu publico, vel potius pro industria, & commoditate privata; Et hic secundus erat casus, de quo agit Rota *dicta decis. 76. post secundum vol. consil.* Farin. in cujus casu, ultrà hanc circumstantiam, ponderatur altera culpæ dum agebatur de ordinibus falsis cujusdam privati negotium ibi habentis, cujus caracter benè notus erat; Id autem inapplicabile est hujusmodi locis piis, ob rationem assignandam infra occasione agendi de statutis, vel privilegiis Montis. 12

Ad idem quoque ponderabam ea, quæ habentur deducta *sub dicto tit. de tutor. & administr. disc. 16.* ex auctoritate Dec. *cons. 473.* & Grat. *consil. 94. & 95. lib. 2. cum aliis ibi deductis*, ut periculum obveniens ex furto, vel alio casu in pecunia aliena, commixta etiam cum propria, esse non debeat depositarii, vel mandatarii, quoties actus principaliter sit ordinatus in gratiam deponentis, vel mandantis; Aliàs etenim resultaret, quod si ab hostium, vel banditorum irruentia, vel alio casu fortuito, pecunia, quæ in magna quantitate retinetur in Montis arcis, ac repositoriis periret, id ipsius Montis damno cedere deberet, quod utiq; absonum, ac improbabile dicendum est. 13

Clarius autem, atque cum longè minori difficultate hæc procedere dicebam stante dispositione juris particularis, vel statutarii hujus Montis, vel banci, quoniam in ejus statutis Apostolica auctoritate editis, vel roboratis in volumine impressis *cap. 45. fol. 114.* expressè cavetur, ut ibi non adsit probabilis suspicio falsitatis, promptè, ac liberè ordines impleri debeant, neque exinde ipse Mons, vel ejus ministri molestias aliquas recipere valeant, ideoque, dum habemus legem scriptam, de alio non esse quærendum dicebam; Potissimè, quia non est lex omninò exorbitans, & correctoria juris communis, sed potius ei conformis, ità rationabiliter edita ad omnem dubietatem tollendam. 14

Et meritò quidem, atque cum summa ratione, quoniam, ubi non agitur de privata negotiatione cum certis, ac determinatis personis, quarum manus notitiam, campsor, vel ejus minister benè haberet, sed agitur de pia, vel sacra æde pro publica utilitate, & commoditate omnibus exposita, sivè magnis, sivè parvis, ac sivè civibus, sivè exteris, tunc videtur aliàs impracticabile exercitium banci, ut in hoc procedendum esset cum eo rigore, de quo in proposito privati negotiatori habetur *in dicta decis. 76. post secundum vol. cons.* Farin. *cum ibi allegatis.* 15



Unde

Unde à fortiori observabam, ut ex identitate, imo majoritate rationis intrarent ea, quæ de privilegio He-
16 bræorum mutuantium super pignoribus habentur *sub tit. de usur. disc. 7.* Ac etiam ea, quæ de solvente creditori bo-
17 næ fidei putativo habentur suprà *in Romana supplementi legitimæ disc. 58. cum similibus*.

Fortius verò in hac facti specie, vel simili, quod agebatur, non de privato deponente, cujus manus utpotè inva-
18 riabilis, ob negotiorum frequentiam, inexcusabilis notitia habeatur, juxtà casum, de quo *dicta dec. 76. cum similibus*, sed agebatur de pio loco administrato per plures Gubernatores, qui in dies, ac tempora variari solent. Unde propterea impracticabilis esset hic depositorum usus, dum ob variationem Administratorum singulis quibusque temporibus, certa, & distincta notitia eorum caracteris haberi non potest; Ideoque Officiales banci, principaliter reflectunt ad veritatem corporis scripturæ, ac etiam ad subscriptionem illorum officialium, vel administratorum, qui sunt fixi, ac invariabiles, & in quorum fide Gubernatores subscribunt ordines, ut sunt Secretarii, ac Rationatores, juxtà exemplum, quod adducebam, insignis Archiconfraternitatis Sanctissimæ Annunciatæ Urbis, ex cujus instituto, Priores singulis annis mutantur, firmi autem sunt Secretarius, & Rationator, quorum characteris veritas inspicitur, nam aliàs impossibile esset, in magno numero plurium millium ordinum, etiam pro parvis, ac minutis summis, indagare subscriptiones modernorum Priorum, qui intrà adeo breve tempus variantur.

Ponderabam præterea, quod cum iste casus contigissset culpa Rationatoris, ac ministri ejusdem Collegii, cujus fi-
26 dem ejus administratores probaverant tam continuato
19 temporis spatio; Hinc proindè id ejusdem Collegii, vel ejus administratorum periculo, ac damno cedere debebat, ex vera, & recepta conclusione, de qua in his terminis plenè apud Giurb. *decis. 88. & disc. seq.* & habetur generaliter *sub tit. de locato disc. 9.* quod factum famuli, vel ministri circa opus, ad quod deputatus fuit, domini, ac præponentis damno cedere debet, non autem tertii, qui justè ejus fidem sequutus est.

Procedebant autem hæc de plano, pro meo judicio, ad effectum consequendi liberationem à reiterata pecuniæ depositatæ solutione; Difficultas verò considerabilis residere videtur in illa parte, in qua Mons erat creditor, ob implementum ordinum ultrà summam depositatam, dum in hac parte contentio non erat super liberatione, cum ma-
20 jor favor assistit, ex deductis per Noguer. & Salgad. ac alios ce quibus *supra d. disc. 58.* sed de obligando, atque non jure exceptionis, sed actionis, pro qua tenetur actor concludenter probare suæ intentionis fundamentum, ad regulam *text. in l. actor. C. de probat. & c. ex litteris ex eod. cum satis vulgaribus*.

Adhuc tamen credebam, difficultatem subsistere, ex dicta non justificabili falsitate, dum ordines in copioso numero erant pro majori parte veri, alii verò, ita benè imita-
21 ti, quod discerni non posset quinam essent veri, & qui falsi, unde propterea non posset, distingui, an hæc excessiva solutio sequuta fuisset potiùs, cum ordinibus falsis, quàm cum veris, atque stante verificatione majoris partis intrat conclusio, quam habemus in libris, aliisque scripturis, quod, verificata majori parte, intrat præsumptio veritatis in omnibus ex deductis per Greg. & Add. *dec. 79.* Burat. & Add. *dec. 344. & infra ad materiam librorum*.

Ac ulterius in idem suffragari videbatur supra insinuata conclusio de domino obligato ex facto famuli circa illud
22 opus, vel ministerium, cui præpositus est; Cum etenim actor, & reus essent corpora inanimata incapacia culpæ, quam pernecesse dare oportet in utrisque officialibus, seu administratoribus ex iis, quæ habentur *disc. seq. ac d. disc. 15. de tutor. & administr. &c.* Hinc proindè in isto culparum concursu, major absque dubio erat illa administratorum Collegii; Tum quia infidelem ministrum elegerunt, ideoque intrat axioma, quod mala electio est in culpa; Tum etiam quia ejusdem electi fidem in tot ordinibus veris apud officiales, ac ministros Montis probarunt; Et fortius, ac inexcusabiliter, quoniam singulis annis quilibet privatus, quamvis ordinariæ diligentiæ vir, de facili hujusmodi errores, vel falsitates dignoscere potest, ob stylum banci expoliandi libros veteres in fine cujuslibet anni, ac transportandi residua debiti, vel crediti respectivè in libros novos anni
23 novi, quod esse commune omnibus mercatoribus, ac negotiatoribus advertitur per Rotam *in Romana justificationis creditorum 20. Junii 1639.* coram Pirovano; Ideoque ubi etiam in erroribus, & falsitatibus anni currentis, administratores Collegii excusabiles essent, absque dubio inexcusabiles, & culposi remanebant, non advertendo ad residua, & non confrontando cum eorum libris, an computa benè procederent, necnè, Ideòque in isto concursu major absque dubio erat culpa ipsorum.

Ponderabantur quoque in idem ea, quæ habentur deducta per Capyc. Latr. *decis. 48.* & Add. *num. 3. & seqq.* super eo puncto, an bancherius, vel alter depositarius subire debeat periculum mutationis monetarum, dum proceditur cum eadem distinctione, an depositum principaliter sit in gratiam depositarii, vel deponentis; Et licèt fundamenta sint generalia, adeout congruat etiam 24
cuilibet debitori, vel creditori respectivè, cum in eo casu ageretur de depositario, vel campsore privato, atque conclusio diversam rationem habeat; Ad instar eorum, quæ habemus in Appaltatoribus gabellarum, & vectigalium, ut rectè admittantur ad solvendam pensionem tem- 25
poris decursi in ea moneta reproba, in qua ipsam gabellam, seu vectigalia exegerunt, ut *per meum concivem* Robert. Marant. *cons. 138.* Thesaur. *de augmen. monet. p. 1. num. 53.* Capyc. Latr. *consult. 40.* ubi de declarationibus, cum similibus, cum id non proveniat ratione dominii, seu ex aliis motivis; Adhuc tamen id influit ad casum ex majoritate rationis.

In hoc autem proposito debitoris solventis debitum alteri, quàm creditori, absque istius voluntate, cum ordinibus, aut signis veris, vel falsis respectivè Nimium frequen- 26
ter occasio dedit, Vel scribendo ad causarum opportunitatem, Vel respondendo pro veritate, præsertim in frequentiori casu campsorum solventium litteras, cambii cum gratis, & ordinibus falsis, ac etiam in hujus Montis officialibus implentibus ordines falsos, inexcusabiliter procedere consuevi cum vera magisque recepta distinctione Bartol. *in l. eum qui §. fin. num. 3. & 4. ff. commodat.* de qua præ cæteris Castrens. *ibid. num. 3. & in l. si homineni §. si nullo ff. mandati*, Scacc. *ubi supra* Rota *d. decis. 76. post secundum volum. cons.* Farin. Franc. *dec. 304.* Graff. *de except. c. 25. num. 81. & alii supra allegati*, quod scilicet aut famulo, vel alteri exigenti nomine creditoris, solutum, vel restitutum est cum ordinibus, vel signis falsis in solvente inexcusabilibus, & indefinitè contra eum judicandum est; Aut cum excusabilibus, & intrat dicta distinctio, an agatur de specie, vel de quantitate, ut primo casu excusetur ope exceptionis, non autem in altero, ex ratione superius considerata, quod periculum casus fortuiti sequitur dominum.

Ubi verò id sequatur cum signis, vel ordinibus veris citrà creditoris voluntatem, putà quia famulus, vel alter anu- 27
lum, vel sigillum, seu clavem, aut chirographum debitori exhibeat, & tunc ubi debitor probabiliter opinari potuit magis veritatem, ac sinceritatem, quam furtum, & fraudem, est excusabilis, secùs è converso in casu suspicionis probabilis, quod sit particeps, ideoque videtur quæstio potiùs facti, pro istius qualitate decidenda.

Adhuc tamen in casu ordinis verè falsi, & confecti *in una Romana Pecuniaria* disputata coram Thesaurario inter Petrum Paulum Riccardum, & Petrum Nerlium pro di- 28
cto Petro solvente cum ordine falso debitum quantitatis (dicta distinctione non obstante) judicatum fuit, Atque mihi pro creditore scribenti non improbabilis visa est resolutio ex facti circumstantiis, quoniam debitum proveniebat à venditione locorum montium facta per Riccardum externum, ac Nerlio ignotum, mediante opera, & interpositione ejus, qui ordinem falsum postea fecit pro solutione pretii, & qui cum ordine exhibuit etiam ipsorum locorum Montium litteras patentes originales, quæ haberi non potuerunt, nisi ab ipso principali, undè propterea solvens in optima fide versatus fuit, ac rectè intrare videbantur ea, quæ de mandato præsumpto, ac de solutione facta ei, qui justè creditoris mandatarius judicatus fuit, ha- 29
bentur apud Dunozett. *decis. 786.* cum non possit debitori imputari, cur non solvisset principali creditori, cum quo contraxerat, dum ille sibi cogitus non erat, nisi mediante dicta persona, quæ mediatoris partes gesserat, & cum quo emptor locorum montium principaliter negotium contraxisse visus est; Ideoque concludendum videtur, quod ista sit quæstio facti potius, quam juris, pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis decidenda, arbitrio Judicis, qui ad facti qualitatem potiùs, quàm ad doctrinas, vel regulas generales reflectere debet.





SUMMARIUM.

1 *De Depositariis, quando benè solvant.*
2 *De administratoribus piorum locorum.*

ANNOT. AD DISC. LXVIII. & LXIX.

AD materiam *disc. 68.* conferunt notata supra *ad discurs. 55.* super liberatione, quæ per solutio-
1 tionem obtenta prætendatur. Circa autem ea, quæ concernunt Depositarios benè, vel malè, solventes, *Vid. de Regal. disc. 23. & sub tit. de Camb. disc. 2. n. 20.* ubi quod depositarius possit pro sua indemnitate non attendere ordines deponentis, si iste fuerit inquisitus.
2 Et de administratoribus Piorum locorum, quando teneantur de proprio, & de eorum fidejussoribus habetur *sub tit. de Tutor. discurs. 15. & in Supplemento discurs. 22. eod. tit.*

ROMANA DEPOSITI
SEU INDEMNITATIS
PRO EODEM MONTE PIETATIS
CUM CARDINALI CAFFARELLIO,
& LEONARDO SEVERO.

*Responsum pro veritate.*

An depositarius actionem habeat contra deponentem, ob depositi fidem, seu cedulam factam ab ipsius depositarii, seu banci ministro, quamvis verè depositum factum non sit; Et an in hac depositi materia admittatur exceptio non numeratæ pecuniæ; Et de actione contra ministrum.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Bancherius obligatur ex cedula ministri.*
3 *De eodem, & generaliter de facto institoris.*
4 *Cedula habetur pro pecunia numerata etiam in creatione census.*
5 *De diversis speciebus cedularum.*
6 *Ut habeantur pro pecunia numerata.*
7 *Bancum tenetur solvere exhibenti cedulam, & sine ea malè solvit.*
8 *Favor publicus anteponendus est privato.*
9 *An exceptio non numeratæ pecuniæ competat adversus confessionem depositi.*
10 *De eodem.*
11 *Bancherius habet actionem contra officiales, & ministros indebitè confitentes depositum, seu alias malè agentes.*

DISC. LXIX.

1 PIcentus exactor Montis pietatis, exigebat quoque reditus, aliosque effectus Cardinalis Caffarelli, sub lege, ut pecunias in dies exigendas, in d. Monte pietatis, seu ejus banco, in ipsius Cardinalis creditum deponere deberet; Cumque exactor pecunias Cardinalis disiparet, seu in alios usus converteret, affectaret autem docere de implemento dictæ sibi præscriptæ legis, hinc decipiendo Leonardum banci Rationatorem, cum affertiva, quod aliquas pecuniarum summas Capserio tradidisset, ab eo obtinuit chirographum, sen cedulam depositi, sive adnotationem in cedularum liberculo retineri solito per eos qui deponunt in dies pecunias in banco, qui vulgò *rincontro* dicitur, detectisque tam dicta fraude, quàm fraudatoris inopia, quæ omnem actionem contra eum competentem inanem reddebat, hinc triangularis orta est quæstio, extrajudicialiter tamen, ac benevole tractata, & sopita inter Cardinalem, & bancum, ac inter istum, & Leonardum ejus Rationatorem; Quare desuper ex parte administratorum Montis, seu banci pro veritate consultus.

Quatenus pertinet ad primam controversiæ partem, an scilicet dicto Cardinali competeret actio directa contra
2 bancum in vim cedularum depositi, quamvis reverà istud factum non esset, neque in libris descriptum; Respondi contra requirentes, probabilitatem pro meo judicio deponenti assistere, quoniam deponentibus, qui ut plurimum per famulos, ac ministros pecunias ad bancum transmittunt, de communi usu non incumbit onus inquirendi, an verè mandatarius, vel famulus pecunias effectivè deponat illæque describantur in libris, sed sufficit habere cedulam seu fidem Rationatoris, quo non benè ejus officium explente, damnum debet esse Bancherii, qui illum præposuit, non autem tertii, qui ejus fidem sequutus est, ex regula seu conclusione insinuata *disc. præced.* super qua plu- 3
ra de more cumulata habentur apud Giurb. *decis. 88.* occasione agendi de casu individuali attestationis factæ per institorem de pecunia deposita in mensa nummularia, cui ille præpositus erat *per text. in l. fin. ff. de institutionibus act.*

Et generaliter quod gesta per istitorem circa ea, quæ ad ejus institoriam, seu officium pertinent, obligent dominum seu præponentem, habetur etiam apud Buratt. & Ad. *decis. 85.* Neque videbatur, quod de tempore hujus responsi incumberet necessitas id comprobandi cum regulis, ac propositionibus generalibus, vel doctrinis, seu decisionibus occasione similium casuum; dum habebamus casum in individuo decisum contra ipsummet Montem, seu bancum condemnatum ad reiteratam solutionem depositi magnæ summæ scutorum 15. m. ob quandam Rationatoris potius simplicitatem, vel inadvertentiam, quam culpam, seu factum positivum juxtà casum, de quo Rot. apud Dunozett. *decis. 604. & 622. & sub titul. de tut. & admin. contento in libro præced. disc. 15.* adeout iste casus videretur omninò planus à majoritate rationis, dum ut plurimum Magnates, & nobiles viri, ac etiam populares præsertim mercatores, ac mulieres, vel Ecclesia, & pia loca, per ministros, & famulos hujusmodi deposita in dies facientes, non possunt aliàs certificari de deposito jam facto, nisi per hujusmodi cedulas, quibus magna fides, tanquam de pecunia verè numerata, & prompta in omnibus actibus judicialibus, vel 4
extrajudicialibus præstatur.

Adeout per eas adimpleri dicatur forma pecuniæ numeratæ in creatione censuum præscripta per Constitutionem Pii V. ex deductis in sua materia *sub tit. de censibus*, ubi de distinctione inter cedulas, & ordines, ut illæ sufficiant, isti verò non; Et de cedulis bancariis continentibus attestationem depositi contradistinctis ab alia specie cedularum, 5
quæ per campsores fieri solent potiùs per speciem fidejussionis, seu expromissionis juxtà distinctionem, de qua Add. ad Gregor. *dec. 217.* & habetur pluries *sub tit. de Cambiis*; Undè propterea in depositis judicialibus, hujusmodi cedularum productio, vel exhibitio in actis sufficit; Atque in regionibus præsertim, in quibus ob banditorum, & latro- 6
num, seu hostium, vel militum incursiones, liberum, ac tutum non est commercium pecuniæ de loco ad locum, hujusmodi cedulæ loco pecuniæ verè numeratè in omnibus habentur, ac recipiunt, easque exhibentibus, quoties per illos, qui eas amiserint, vel quibus surreptæ sint, non fiat inhibitio, seu denunciatio, promptè, ac validè solvuntur summæ in eis contentæ, neque solutiones, quæ fierent deponentibus sub assertiva, vel pretextu amissæ cedulæ, banco suffragantur, vel excusat quin ad reiteratam solutionem tenenatur ei, qui cedulam exibet juxta firmata apud Rovitum *dec. 13.* & est ubique in praxi receptum; Ideoque ubi casus præbeat hujusmodi cedularum ammissionem, vel 7
surreptionem, atque deponens alteram cedulam, vel solutionem petat; id non conceditur, nisi cum satis idonea cautione indemnitatis, quatenus prima cedula exhibeatur ab altero, cui summam in ea contentam solvere oporteat.

Et quamvis per aliquos administratores motivaretur, quod ita posset aditus aperiri fraudibus, & collusionibus in supplantationem banci, Nihilominus huic rationi, seu inconvenienti præponderat altera ratio major publici 8
commercii, ac subjectæ materiæ aliàs non practicabilis, sibique imputet præponens, cur minus probum, ac fidelem institorem, seu ministrum operi præposuerit, cum delicta in dubio non sint præsumenda, nisi probantur, atque probatione accedente, locus est indemnitati; Ideoque materia determinationem recipit à facti qualitate, & circumstantiis, & an ille, cujus favore cedula concepta est, & in bona fide versetur, adeout ab eo omnis fraudis, & collusionis suspicio absit, quia verè, ac effectivè ejus pecunia tradita sit nuncio, vel mandatario, seu famulo cedulam sibi exhibenti, unde propterea de aliis diligentiis solicitus esse non debuit, potissimè in negotio habente tractum successivum.

Motivabatur ex parte aliorum desuper consultorum, an banco, seu monti competeret exceptio non numeratæ pecuniæ, ex iis, quæ in terminis depositarii deducta habentur per Laderch. *cons. 113. n. 10. in 4. respons.* quæ fortiùs 9
dicebatur procedere in hac facti specie, dum agebatur de sacra Æde, sub aliena administratione vivente, pupillorum jure metienda, ideoque ut saltem ope restitutionis in

integrum illi subveniendum esset juxtà generales, ac receptas propositiones, quas in jure habemus favore pupillorum adversus acta præjudicialia tutorum, aliorumque administratorum.

Super hoc autem respondi, quod ubi etiam de merè legali rigore, seù de stricta juris censura, id esset subsistentabile, adhuc tamen ex prudentialibus motivis, ab hujus prætensionis excitatione omninò, abstinendum esset, ne aliàs probatissimæ fidei tam insignis, & conspicui banci præjudicaretur, cum hujusmodi publicorum negotiorum, primarium, ac majus peculium, sit fides.

Et nihilominus, ubi etiam cum dicto legali rigore punctus tractari debuisset, adhuc dicebam, ut quidquid pro consueto ingenii acumine, eleganti quidem more, deducat Laderchius *ubi supra*, verius, magisque receptum est, ut in materia depositi exceptio non numeratæ pecuniæ non admittatur *ad textum in l. in contractib. §. 1. C. de non numerat. pecunia*, & post antiquiores firmant Roland. *cons.* 4. *num.* 7. *lib.* 4. Natt. *cons.* 438. *num.* 4. Graff. *de except. cap.* 43. *num.* 23. Genua *descript. priv. lib.* 3. *quæst.* 9. Thes. *decis.* 26. *num.* 8. Barbos. *in l. divortio §. Donationes num.* 14. *ff. solut. matrim. alter* Barbos. *junior in d. l. in Contract. lib. §. 1. num.* 25. *C. de non num. pec.* Rota post Cenc. *de cens. decis.* 131. *num.* 4. *in illis primæ impressionis* aliàs *dec.* 291. *repetita post.* Duard. *eodem tract. decis.* 11.

Potissimè verò ubi non agitur de depositis privatis, sed de hujusmodi publicis bancis, in quibus ea privilegia, quæ eorum publicæ qualitati tribuuntur insinuata *disc. præc.* ac etiam *disc.* 25. & alibi, compensata remanent, eum hoc incommodo, ut eis non liceat allegare illas exceptiones, quæ privatis competere possent, Ac etiam quia hæc inspectio cadit quando ista exceptio objiciatur ipsimet deponenti, qui aliàs contenderet de lucro ita captando, cum sæpius campsores, & bancherli hujusmodi cedulas facere soleant in verbo, seù fide eorum, ad quorum favorem cantant, cum præsupposito, quod effectum sortiturræ non sint, vel quod pecunia imminente effectuatione exhibebitur, secùs autem ubi, ut in præsenti habemus cedulam contendit de damno vitando, atque quoad se verè pecunia tradita est; Ideoque in hoc proposito, magna differentia dignoscitur, ubi actus fiat ab ipsomet principali, & ubi à tertio, pro facti, ac personarum qualitate.

Quo verò ad controversiæ punctum inter ipsum Montem, seù bancum, & rationatorem, Quamvis ob istius magnam probitatem, aliasque facti circumstantias, attenta quadam naturali æquitate, commiseratione dignus esset, dum constabat de deceptione sibi facta ab altero ejusdem banci ministro, qui probus, ac idoneus tunc reputabatur; Attamen de jure ad parum relevabat, ideoque de plano intrare dicebam ea, quæ in hoc puncto habentur deducta *dicto disc.* 15. *sub tit. de tutor. & administr.* quamvis ob ejusdem officialis nimiam integritatem non applicarentur ea, quæ de dolo in hujusmodi institoribus istas minùs veras cedulas, vel fides facientibus, habentur apud Giurb. *d. decis.* 88. Atque ità cum concordi temperamento controversia finem habuit.

*Ad materiam præcedentis discursus circa obligationem Montis pro depositis, facit præsens decisio.*

## CORAM REVERENDISS. D. ALBERGATO DECANO.

Romana Pecuniaria.

*Mercurii* 10. *Maii* 1684.

OPpignoratis in Sacro Monte Pietatis Urbis mediante persona Christophori Magni per Excellentissimum Dominum Ducem Cesarinum decem, & septem sacculis monetæ Argenteæ expendibilis clausis, & obsignatis, compertum fuit in illorum expignoratione, octo ex eisdem deficere subtractos ab infidelitate Custodis. Quapropter pro illorum restitutione, & consequenter pecuniæ amotæ recuperatione à Ministris Sacræ Ædis controversia coactus fuit D. Dux judicialiter ejus Jura experiri, & è Judice ejusdem Montis mandatum exequutivum pro summa scutorum 7966. 40. ad ejus favorem reportavit, successivè per Signaturam Sanctissimi cum reiterata clausula *sine præjudicio* canonizatum.

Verùm quia idem Mons causam in devolutivo prosequi intendens obtinuit specialem commissionem appellationis per Sanctissimum signatam bon. memor. Card. Tayæ cum facultatibus Sacri Montis, & Eminentissimi Protectoris dirigi. Unde ego uti subrogatus DD. hodie consului *An constet de credito D. Ducis contra Sacrum Montem, vel potius sit locus restitutioni pecuniarum*, & affirmativè quoad primam, negativè verò quo ad secundam dubii partem, responsum fuit.

Creditum enim D. Ducis, ad evidentiam probari in genere dignoscebatur ex Bullettino, seù Tessera pignoris impressa sub nomine Provisorum Sacri Montis, & ex partitis ex ejusdem Libris extractis præcisam oppignorationem in Bullettino contentam præseferentibus, *Summ. Ducis n.* 1. & 2. quorum vigore nedum contrahitur pignus, ut de simplici apoca est *Textus in l. cum Tabernam* 34. *§. idem quæsivit ff. de pignor.* Genua *de scriptura privata in addit. pag.* 46. *sub num.* 1. verum & actio omninò exercibilis contra Sacrum Montem suboritur ex traditis per Cardinalem de Luca *de Credit. disc.* 69. *sub num.* 2. & 3. *cum seqq.* Rota *decis.* 541. *num.* 2. coram Bichio, & *decis.* 289. *num.* 2. coram Eminentissimo Cerro.

In specie verò, seù quantitate subtracta justificari ex judiciali confessione per eumdem Custodem ad perpetuas Triremes ob tale furtum damnatum in ejus constitutione emissa, verificata ad unguem tum ex descriptione sacculorum in loco à Reo enunciato repertorum cum pauco residuo pecuniæ in eisdem sacculis relictæ, tum ex adnotatione præcisæ quantitatis ablatæ in tribus foliis in eodem loco repositis ab ipso Reo exaratæ; tum & evidenter ex criminali sententia contra ipsum confitentem lata individuam summam subtractam præseferente, quæ uti per Sacrum Montem producta, & repetita in Judicio Civili adversus Reum, & illius fidejussores pro consequenda pecuniæ amotæ restitutione plenum probationis gradum respectu summæ in illa contentæ contra Producentem constituit per ea, quæ tradunt Parif. *cons.* 104. *num.* 3. *lib.* 1. Pancirol. *cons.* 110. *sub num.* 11. & 12. Rota *decis.* 643. *sub num.* 10. & *seqq.* coram Bichio, & *decis.* 43. *nu.* 5. coram Priolo. Junctis præsertim depositione Christophori Magni oppignorantis formiter in Testem inducti, ac juramento D. Ducis in supplementum præstito, cui semper locum esse, quoties de quantitate Crediti dubitari contingat dixit Rota *decis.* 60. *sub num.* 9. *vers. secundo quia, & num.* 10. coram Durano & *dec.* 67. *num.* 7. coram Arguelles, quæ aliàs de facili, & leviorib us conjecturis probari potest, si veritas crediti in genere comprobata remanserit juxta allegata per Rotam *decis.* 324. *sub num.* 4. coram Gregorio, & *decis.* 82. *num.* 21. *par.* 19. *rec. & in Neapolitana Mercedis* 5. *April.* 1680. §. *firmata coram R. P. D. Matthæo.*

Data itaque oppignorationе facculorum monetæ, ac justificatione crediti D. Ducis tam in genere, quàm in specie, seu in quantitate supra enunciata in necessarium sequi videbatur Sacrum Montem teneri ad restitutionem ejusdem monetæ, licet à Ministro, seu Custode subtractæ, cum adhuc Mons de dolo, & culpa suorum Institutorum, seù Ministrorum teneatur per *Text. in l.* 1. *ff. de exerc. act. l. habebat*, & *l. sequenti ff. de Instit. act.* Giurba *decis.* 88. *ferè per tot.* Card. de Luca *disc.* 68. *num.* 19. *de credit.* Rota coram Coccino *dec.* 1665. *sub num.* 5.

Nec apud DD. valuit quod talis pecunia in sacculis obsignata, uti præseferens speciem depositi regularis nullatenus in pignus dari potuerit, & signanter recipi à secundo Custode addicto dumtaxat ad mutuandam pecuniam Egente super pignoribus, secus verò ad recipienda hujusmodi pignora, seù deposita quæ solummodo irregularia permittuntur in diversa, & distincta mansiones Personis Divitibus; Unde inferebatur quod si D. Dux credidit pecunias, seù pignus indebitum secundo Custodi diverso muneri præposito, & cum eodem contraxerit, amissio pecuniarum ejus damno cedere debet, & sibi imputare si cum persona minus idonea contraxerit, cum tam respectu D. Ducis divitis, & non egeni, quam ex parte Ministri ad id peragendum nullam facultatem habentis, Sacer Mons nunquam potuerit obligari ea recepta conclusione, quod Dominus, seu Præponens solum teneatur de facto Ministri, seù famuli, quarenus isti delinquant in eo munere, seù officio quo præficiuntur, secus autem si in diverso ipsis nullatenus addicto, ut distinguendo firmarunt Costa *de remed. sub fid. remed.* 91. *num.* 5. *vers. dummodo* Genua *de scriptur. privat. lib.* 4. *tit. de liber. instit. num.* 34. *fol.* 118. cum adductis per Farin. *in praxi qu.* 110. *sub n.* 122.

Quandoquidem tale objectum, in quo residet tota causæ discussio ex pluribus dilui videbatur. Et quidem quò ad prohibitionem pignorandi pecunias, cum nullibi in Jure cautum reperiatur, illarum oppignorationem vetitam esse, quinimò expressè permissam ex litter. *Textus in l. Itemque* 7. *§. si sibi prope finem ff. qui potior. in pignor. habitbique* Bald. Faber. *in suo Cod. lib.* 4. *tit.* 26. *defin.* 25. *sub num.* 2. Tiraquell. *de retract. lignag. §.* 32. *gloss. unica num.* 16. Mantic. *de tac. lib.* 11. *tit.* 4. *num.* 9. Merlin. *di pignor. lib.* 3. *tit.* 1. *quæst.* 23. *sub num.* 4. Rota *decis.* 832. *num.* 7. *in fine*, & *num.* 8. *coram Dunoz. Jun.*

Id ipsum quoque permissum censetur ex Statutis ejusdem Sac. Montis: In Capitulo enim 30. *del Carico dello Stimatore*, prohibent quidem Statuta diversas res oppignorari, sed in hoc genere prohibitorum non faciunt mentionem pecuniæ, dictisq; rebus exceptis descendunt ad partem permissivam, ubi in reliquis permittitur cujuscumque rei oppignoratio ibi; *del resto faccino imprestare sopra ogni sorte di robba*, quæ sanè verba comprahendunt pecunias, sive attendatur generalis significatus illius verbi *Robba*, cum appellatione rei veniat pecunia *l. pecunia* 4. & *l. rei* 5. *ff. de verb. signific. gloss. final. in l. prima ff. si cert. petat.* Rebuff. *in l. rei in princ. vers. rei appellatione*, & *vers. si res genus est* Alex. *cons.* 185. *num.* 26. *lib.* 2. Barbos. *appell.* 235. *nu.* 4. Juncta præsertim generali illa comprahensione *ogni sorte di robba*, quæ nullam patitur restrictionem, latamque interpretationem quò ad fieri potest expofcit *Textus est in l. Julianus ff. de leg.* 3. Sive attendatur exceptio, seu prohibitio aliquarum certarum rerum, quæ facit, seu amplificat regulam pro comprahensione pecuniæ non exceptæ *l. nam quod liquide* 4. *§. final. de pecun. legat.* Rota coram Burattdec. 391. & coram Celso *dec.* 40. *n.* 11.

Confluit in idem mentio auri, & argenti toties in aliis Capitulis Statutorum habita cum suppofito, quod illud possit oppignorari, ex quo necessario infertur etiam supponi oppignorationem pecuniæ permitti, quam appellatione argenti in legibus, & statutis venire non minus docte, quam erudite tradidit Tiraquell. *de retract. lignag. §. 1. gloss.* 20. *num.* 2. & 6.

Quoverò ad assertam prohibitionem mutuandi pecuniam divitibus super istorum pignoribus elicita tam ex Bulla erectionis Montis confirmatoria Sa. me. Pauli III. *quam ex cap.* 31. eorumdem Statutorum quibus cavetur Sac. Ædem fuisse erectam in sublevamen Pauperum, itaut istis dumtaxat pecuniis occurratur super pignoribus absq; ulla spe lucri; secus verò Divitibus, & Magnatibus, qui nulla indigentia premuntur DD. super hoc animadverterunt, nec Bullam præfatam; nec allegatum Statutum hujusmodi interpretationi subiici posse, Bullam siquidem cum in ea verbis demonstrativis, non autem taxativis mentio Pauperum, & Egenorum habeatur, nec ulla legitur respectu Divitum oppignorantium prohibitio, quæ nunquam censetur ita in abstracto inducta, dummodò Egentibus præjudicium, ac damnum non inferatur, ut probat Pasqualig. *decis.* 161. *per tot.* quæ in præsenti considerari nequeunt tum attenta qualitate pignoris, in casu indigentiæ (ut experientia docuit inferius expendenda) proficui, tum divitiis ejusdem Sacri Montis quibus tunc temporis affluebat. Tum exiguitate summæ mutuatæ juliorum quinque, quæ nec damnum, nec præjudicium pauperibus inferre potuit, ut patet ad sensum.

Statutum verò cum in ipso tantummodo præcipiatur..... *di non imprestare a giocatori, ne a persone comode chi si possa giudicare che ciò ricerchino per mercantia*, ex quo potius elicitur permissio recipiendi pignora à Divitibus, qui ut in hoc casu non ludunt, nec nummos recipiunt causa Mercaturæ ducto argumento tam in sensu directo, quod exceptio aliquorum faciat Regulam pro comprehensione non exceptorum ex supra allegatis sub *§. id ipsum*, quam à contrario sensu, quod possint recipi pignora à non laudentibus, & non oppignorantibus causa mercaturæ, quod argumentum esse in Statutis validissimum firmarunt Bald. *cons.* 101. *n.* 2. *vers. in contrarium lib.* 1. Castr. *cons.* 106. *in princ. lib.* 2. Rim. Jun. *cons.* 320. *n.* 25. Cephal. *comm. opin. contra commun. q.* 336. *n.* 2. & *seq.* Rot. *dec.* 186. *n.* 7. *p.* 1. *rec.*

Quod clariùs elicitur ex eisdemmet verbis Statuti 31. quibus permittitur posse per famulos oppignorari, ac per interpositam personam suppressis nominibus oppignorantium ibi.... *Et se dirà di non voler nominare il Padrone perchè egli non voglia essere nominato si scriva disse, essere di altri.* Undè manifestè resultat permissio recipiendi pignora Dominorum Divitum, ea insuper inconvincibili ratione, quod ferè impracticabilis redderetur oppignoratio, si prò quolibet pignore super paupertate esse inquirendum, & compilandus Processus.





Quibus omnibus adstipulatur nedum generalis observantia cum pluribus, & diversis magnatibus habita per Ministros Sacri Montis recipiendi in pignus capsulas, & sacculos aureæ & argenteæ pecuniæ repletos pro mutuo modicæ quantitatis, ut ex confessione Lamparelli olim Sacri Montis Custodis, & ex attestatione Ministri Principis Pallavicini, nec non ex partita è libris ejusdem Sacri Montis extracta doctum fuit in *Summario Ducis nu.* 14. quæ sane observantia etiam universalis optima dicitur cujuscumque legis, & Statutorum interpres, si ex illorum verbis aliqua possit oriri dubietas *Textus est in l. si de interpret. & in l. sequenti ff. de reb. dub.* ac in individuo Statuti loquentis de auro, & argento firmavit Tiraquell. *de retract. lignag. §. primo glos.* 20. *nu.* 2. *vers. hic autem satis cons.* &c. & generaliter comprobant Cost. Sicul. *cons.* 41. *num.* 64. *cons.* 50. *nu.* 10. Rot. *coram* Burat. *dec.* 161. *n.* 11. & *coram* Eminentissimo Ottbob. *dec.* 263. *n.* 17. & 328. *nu.* 3. *par.* 15. *rec.* Ideoque minimè allegari valeat excessus Custodis extra limites proprii officii, in quo intelligitur præpositus cum facultate faciendi ea, quæ de solito observari, & practicari queant ad tradita *per* Rot. *dec.* 34. *colum.* 3. *ad med. apud.* Turr. *de Camb.*

Verum, & in præsenti facti specie concurrit specifica, & individua observantia respectu hujus pignoris, & D. Ducis, cum pecuniæ oppignoratæ fuerint pluries, ac diversis temporibus nedum à secundo Custode, verum, & à primo in pignus receptæ, & acceptatæ, ut apertè colligitur ex partis librorum Sacri Montis *Summ. Ducis num.* 1. exibitis; Et quod plus est cum scientia, patientia, & approbatione Custodum Sindicorum, Provisorum, ac totius Congregationis, quibus admissis nedum inducitur perfecta observantia interpretativa, verum, & expressa retificatio de omnibus gestis ab inferiori Ministro, Aliàs violaretur nedum fides D. Ducis, sed & publica totius Urbis; & Orbis si recurrentes ad Sacram Ædem in illorum indigentiis fidei privati Custodis res maximi valoris pro mutuo modicæ quantitatis committere deberent, nec cæteri Officiales de pignore quatenus indubiè scientiam habentes, illos non certiorarent, cum ad illorum simplex verbum, vel nullus oppignoraret, vel quilibet retropignus acciperet, quòd ad servandam publicam, & bonam fidem facendum esset nè contrahentes indebitè delusi remanerent à loco Pio, in quo semper bona fides præpollere præsumitur ad tradita per Cardinalem de Luca *de credit. disc.* 68. *n.* 8. & *per* Rot. *dec.* 151. *n.* 1. & 2. *p.* 10. & *d.* 328. *n.* 8. *p.* 18. *rec.*

Scientia verò, ac patientia, & consequenter omnimoda pignoris approbatio, nedum præsumitur ex onere injuncto Officialibus, seù Sindicis Sacri Montis de revidendis libris pignorum, & quilibet mense librum mutuorum sindicare, nec non in quelibet hebdomada scrutari Bulettinos Computistæ mutuorum, & generaliter de mense Aprilis, & Octobris Sacræ Congregationi omnia pignora inspicere, & in specie in revisione pignorum gemmarum, auri, & argenti intervenire, ex quibus infertur, quòd diligenti implemento talium onerum sequuto, dum contrarium nefas est cogitare de tot, tantisque integerrimis Viris, ut tradunt Menoch. *cons.* 622. *num.* 17. *vers. cum præsumptio sit*, Carena *resol.* 9. *nu.* 1. & Rota *decis.* 235. *nu.* 3. *cum seqq. part.* 15. *recentior.* non sit ambigendum de scientia hujusmodi pignoris in libris Custodis, seù pignorum descripti.

Verùm etiam ad evidentiam talis scientia palpatur, cum Provisores Sacri Montis revera usi fuerint conversis pecuniis in sacculis oppignoris existentibus non quidem malo animo fecundi Custodis, sed confulendo indigentiis, ac necessitatibus sacræ Ædis tunc temporis pecuniis exhauftæ ex datis in *Summ. Ducis sub nu.* 16. 18. & 19. *litt. A.* licèt in eisdem sacculis fideliter restitutis; Undè sequitur, & quod furtum proprie evenit in pecuniis ejusdem Montis, non autem in illismet Domini Ducis, qui depositum irregulare noluit; Ideoque dominium à se abdicare non permisit, illud in Depositarium transferendo, & quod Sacer Mons restitutionem pecuniæ denegare nequeat, cum ex eadem utilitatem senserit. Quidquid sit, an Officiales incauti non consuluerint indemnitati ipsius Sacri Montis restituendo tale pignus, nimis rapinæ prompto ob allicientiam pecuniæ usualis, & expedibilis, & alia adimplendo ad formam præscriptam à Statutis Sacri Montis, cum alias illorum scientia, ac patientia voluit, & potius sacram Ædem damnificare, cum hęc omninò teneatur de facto ipsorum tanquam Institorum, & Ministrorum ex supra allegatis sub §. Data itaque.

Et ita utraque parte acriter informante, & omnibus Dominus suffragantibus ex speciali Sanctissimi Commissione resolutum fuit &c.

## ROMANA CENSUS PRO FELICE TIBALIA CUM MARCHIONE DEL DRAGO

*Casus variè decisus per Rotam.*

An creditor, qui creditum alteri cessit, valeat, cessione non obstante, debitorem quamvis invitum cogere, atque contra eum ejus actiones exercere, sive ab eo solutionem debiti recipere, seu aliàs debitorem liberare, vel debitum novare, in præjudicium cessionarii.

### SUMMARIUM.

1 Facti series.
2 Resolutiones causæ.
3 *An filii in conditione positi in contractibus censeantur vocati ex statuto Vrbis.*
4 *De requisitis text. in l. 3. C. de novat.*
5 *Illis cessantibus debitor cessus benè solvit cedenti, & qualis debeat esse denunciatio cessionarii facta debitori.*
6 *Quod ubi cessio est ampla, debitor malè solvat cedenti, etiam sine requisitis.*
7 *De differentia ubi agatur de principali creditore, vel de cessionario, qui alteri cedat.*
8 *Reiicitur conclusio, de qua num. 6.*
9 *De eodem, & quid accedente scientia sine requisitis.*
10 *Quomodo ista materia decidi debeat.*
11 *Quod in hac facti specie debitor cessus non potuerit solvere cedenti.*
12 & 13. *De materia in genere, an cedens possit exigere, vel acceptilare, seu quietare debitorem, cum distinctionibus.*
14 *An possit transigere.*
15 *Potest cedens etiam concurrentibus requisitis agere ad commodum cessionarii.*

### DISC. LXX.

EX censu per Joannem Petrum del Drago in sorte scutorum 3300. imposito ad favorem auctoris Plautillæ, per istam cessa fuit rata scutorum mille ad favorem Dianæ matris pro totidem ab ista sibi traditis in pecunia occasione ejus nuptiarum, undè debitor cessus, & successivè Marchio ejus filius, & hæres fructus solvit tam Dianæ, quàm postmodum Franciscæ Felici filiæ usquequo de anno 1635. eumdem censum cum hæredibus dictæ Plautillæ cedentis per actum retrosimilem restitutionis sortis extinguit; Cumque Felix cessionaria prætenderet dictam extinctionem esse malè factam cum cedente, ac propterea ea non obstante mandatum pro fructibus ab A. C. obtinuisset, hinc devoluta per appellationē causa in Rota coram Bichio sub diebus 17. Iunii 1652. & 15. Junii 1654. ad favorem Franciscæ Felicis prodierunt resolutiones pro dicti mandati executione; Repropositа verò causa coram eodem sub die 14. Junii 1656. recedendo à decisis, contrarium pro valida extinctione resolutum fuit, neque quod sciam causa ulteriorem progressum habuit ob sequutam dictę Felicis mortem, cujus hæredes fortè contenti fuerunt recipere sortem jam extantem, sed vinculatam in tot locis montium, dicteque primæ decisiones habentur inter illas ejusdem Bichii *dec.* 514. & 610. ultima verò revocatoria cantat sub nomine Albergati utpotè extensa per eum in locum Bichii defuncti subrogatum.

In his autem disputationibus, de pluribus articulis actum fuit, & præsertim, an filii dictæ Plautillæ cedentis tanquam in conditione positi, esset, necnè vocati, adeout dicta cessio eos non afficeret, sed venirent ex persona propria; Vel è converso, cessante vocatione, venirent tanquam Plautillæ cedentis hæredes; Primò enim casu, ego scribens pro actrice, admittebam, quod extinctio cum dictis filiis benè facta esset ob invaliditatem, vel resolutionem cessionis factæ per dictam Plautillam fideicommisso gravatam in præjudicium fideicommissariorum, secus autem è converso, ubi extinctio in præjudicium cessionarii fieri non potuisset cum cedente, dum ita neque cum ejus hæredibus.

Cumque in dictis primis decisionibus præsertim in secunda 15. Junii 1654. quæ est in materia notabilis, firmatum fuisset filios in conditione positos occasione pacti reversivi non censeri vocatos, non obstante statuto Urbis 142. per quod filii in conditione positi, censetur vocati, dum ex facti circumstantiis constabat eos, non principaliter, ac dispositivè in conditione positos fuisse, sed incidenter, vel causativè occasione pacti reversivi, ita comprobantibus aliquibus clausulis, ac verbis libertatem denotantibus, ac fideicommissum excludentibus ex iis, quæ super hoc articulo habentur deducta *sub titul. de fideicomm. disc.* 80. Hinc proinde major, & pene tota quæstio fuit super alio articulo sub hac materia cadente, an scilicet debitor cessus, non obstante cessione solvere potuerit cedenti in præjudicium cessionarii, adeout liberationem consequutus fuerit, vel potius è converso dicta solutione, non obstante, ad iteratam teneatur ad terminos textus *in l. 3. C. de novat. cum ibi notatis.*

In hoc autem articulo, Scribentes pro debitore se tuente cum extinctione facta cum cedente, vel ejus hærede, fundamentum constituebant in circumstantiis facti, cum quibus in ultima decissione revocatoria processum fuit, ex quibus excludi prætendebatur concursus alicujus ex requisitis positis per textum *in dicta l. 3.* quorum duo in hac facti specie ex parte actricis concurrere dicebantur; Unum scilicet interpellationis, seu denunciationis; Et alterum recognitionis mediante solutione fructuum facta cessionariæ, vel ejus hæredi, quod scilicèt dicta denunciatio fuisset pro solutione fructuum tantùm, nō autem pro cessione ipsius substantiæ census, ejusque sortis principalis; Undè propterea debitor, ad cujus notitiam qualitas cessionis distinctè non fuerat deducta, opinari potuit quod fuisset assignatio pro solvendo, redolens speciem mandati ad exigendum, juxtà distinctionem in præcedentibus pluries insinuatam inter cessionem pro solvendo, ac illam pro soluto.

Atque ita de consequenti dicebatur non obstare solutiones fructuum plurium annorum spatio factas, utpotè referibiles ad hanc speciem cessionis non tangentis substantiam ipsius census, & de consequenti non impedientis facultatem extinguendi cum ipso principali creditore ex iis, quæ cæteris relatis habentur *decis.* 161. *n.* 1. & 2. *dec.* 292. *n.* 7. & 513. *n.* 10. post Cenc. *de cens. decis.* 324. *p.* 11. *rec. ubi n.* 10. & 11. quod requiritur, vel Judicis inhibitio, vel denunciatio distincta cum exhibitione instrumenti cessionis, omnibusque ejus qualitatibus, ut in ultima decisione anni 1656. deducitur.

E converso autem, causæ Patronus pro hac parte dicebat oppositum justificari super explicita dicti debitoris cessi notitia, adeout quæstio videretur potiùs facti quàm juris.

Ubi verò non benè justificatis dictis requisitis, vel eorum aliquo, de ipso puncto in genere agendum esset, An scilicet & quando, non obstante defectu interpellationis, debitor cessus solvens cedendi benè solvat, ac liberationem obtineat: Scribens ego tanquam Advocatus, dicebam quod cum cessio concepta esset per verba ampla, & prægnantia, translativa omnium actionum, nihil pro se retinendo, hinc proindè volvens cedenti, quamvis non interpellatus, vel non conscius, malè solvit, neque liberationem obtinet, sed ad iteratam solutionem cogi potest à cessionario, sibi remanente actione contra cedentem ad indemnitatem, seu relevationem, ut ita explicite pluribus relatis firmat Salgad *in labyr. par.* 1. *c.* 27. *nu.* 62. ubi desumendo plures auctoritates ponderatas per Surd. *consil.* 22. *nu.* 36. & *seqq.* & per Cenc. *de cons. qu.* 67. *nu.* 6. & *seqq.* & *quest.* 109. *nu.* 31. & *seq.* explicitè, ut dictum est, firmat non posse solvi etiam per ignorantem, ex eo quod ob amplitudinem verborum, & clausularum, illlæ actiones directæ, quas nostri dicunt non esse cessibiles utpotè affixas ossibus, ita remaneant inutiles, ac nullius operationis.

Clarius verò dicebam id procedere in hac facti specie, dum cessabat dicta consideratio dictarum actionum adhuc remanenentium penes cedentem, cum dicta Plautilla non esset principalis creditrix, sed etiam cessionaria alterius, & consequenter haberet solùm utiles, quibus cessis nihil penes eam remansit, ut in specie cæteris relatis, de hac differentia inter cessionem primi, ac directi creditoris, & secundi, seu cessionarii habetur apud Oleam *de cess. tit.* 8. *quest.* 2. *nu.* 27.

Quamvis autem Salgadus ita loquatur, adeout pluries, ac pluries coram multis Judicibus doctrinas in sola littera pro stylo attendentibus, pati oportuerit (per modum loquendi) sudorem sanguinis, vel mortis, ad eos cedendum capaces de hoc æquivoco, Attamen illud semper credidi nimis manifestum, (quamvis in elaborato, ac docto viro,) quoniam hæc circumstantia amplitudinis verborum & clausularum, ob quam actiones directæ, quæ penes cedentem remanent, omninò inutiles, ac inefficaces effici dicuntur, est de jure vera ad alios effectus, non autem ad istum, quoniam nedum omnibus principiis juris scripti, sed etiam naturalis, ac libertati humani commercii adversatur, ut ille, qui ignarus, ac bona fide solvit proprio creditori, cum quo contraxit, & cui solvere promisit, dicatur malè solvere, adeout ad iteratam solutionem cogi valeat, Tum ob receptissimum principium, ut cessante inhitione legis, vel hominis, sufficiat distrahere cum eo, cum quo nomine proprio contractum est, quamvis distrahens sciat quod bona, vel jura in contractum deducta ad alterum spectarent, seu essent alteri affecta, quoties pro eo stipulatum non est, ut pluries in præcedentibus advertitur ex regula textus *in l. nomen*, *C. quæ res pign. obligar. poss.* atque tanquam absolutum admittitur in casu debiti expresse contracti de aliena pecunia, ac alieno nomine, quoties ipsi contrahenti promissum est solvi, de quo *sub tit. de cens. discur.* 24. cum similibus.

Tum etiam, quia esset ita latissimum aperire aditum fraudibus, & collusionibus, quoniam posset quilibet, colludendo cum conjuncto, vel fiduciario, huic in amplissima forma cedere debitum, deinde ab ignaro debitore exigere, ut postmodum cessionarius illud denuo exigat absque debitoris relevatione ob cedentis impotentiam, & quandoque etiam ratione potentiæ, unde propterea iidem à Salgado relati, & præsertim Cenc. *d. qu.* 109. *n.* 31. & *seqq.* & Olea scribens post Salgad. quem refert *dicta quæst.* 2. *tit.* 8. *n.* 13. *cum seqq.* & per totum discursum, & alii id supponunt tanquam absolutum, ut revera est, aliquibus solùm dubitantibus, ubi accedat simplex scientia, alias quam per dicta requisita posita per textum *in dicta l.* 3. super quo, & aliis ad istam materiam pertinentibus, moderni diligenter, ac elaborate relati per Oleam *dicta quæst.* 2. nimium se involvere videntur ut præsertim patet ex tot distinctionibus deductis per Gaitum, Sfortiam, Odd. Trentacinque, Merlin. & alios per Oleam *relat. dicta qu.* 2. ubi initio deducit ea, quæ circa materiæ perplexitatem, ac inextricabilitatem dicit Caphera *dec.* 62. & aliqualiter carpit ampullositatem Merlin. *d. controv.* 32.

In hac verò facti specie, (reflectendo etiam ad solam veritatem) mihi probabiliora videbantur jura cessionarii; Non quidem ex dicto motivo amplitudinis verborum & clausularum, cum apud me, sive ex genio, sive ex proprii intellectus imperfectione, aut quia ita leges oporteat intelligere, & practicare (super quo alii videant, & judicent,) irrisione dignus perpetuo visus est iste stylus judicandi cum sola formalitate verborum & clausularum, quæ plurimum resultant à formularis Notariorum, cum clara ignorantia efficaciæ, seu operationis, tam apud contrahentes, vel disponentes, quàm apud ipsosmet Notarios; Sed attenta substantia verisimilis voluntatis desumendę ex circumstantiis facti, quibus verba & clausulę solum famulentur, illa attendendo in casu ambiguo pro interpretatione, quoties non sint ita concepta, quod ostendant claram ipsarum Partium intentionem; Adinstar eorum, quæ habemus super adeo frequenter insinuata conclusione, an potius capitulis, & apocis insertis, quam instrumento stari debeat.

Cum enim in hac facti specie concurrerent tam præceptum Judicis factum debitori cesso, ut solveret fructus cessionario, quam effectiva solutio plurium annorum spatio, ac etiam scientia cessionis, ejusque causæ ex pluribus argumentis, vel adminiculis deducta, ita probabilius videbatur, ut solutio mala fide facta esset, quodque rigor juris, potius in ultima decisione contra cessionarium adhibitus esset, cum metaphysicis interpretationibus explicitorum requisitorum jam concurrentium, atque in id famularetur etiam verborum amplitudo.

De reliquo autem, quatenus pertinet ad materiam in genere (super qua nimium frequenter scribendo ad causæ opportunitatem, quandoque favore cessionarii contra debitorem cessum, & quandoque in casu converso, sive respondendo pro veritate;) Quamvis ex deductis per modernos, ex quorum transcriptione, cuilibet nimium facilè est, chartas implere, atque eruditionem ostentare, nimiumque facile sit quascumque partes tueri, stantibus etiam tot Rotę decisionibus pro casuū diversitate inter se diversis; Attamen mihi visum est, istam esse potius quæstionem facti, quam juris, ex facti qualitate, & circumstantiis prudenti arbitrio decidendam, manifestumque errorem esse cum generalibus distinctionibus & regulis in omni casu procedere, cum tota vis principaliter consistere videatur in bona, vel mala fide, & an adsit necne aliqua collusio, vel ejus probabilis suspicio supplantandi tertium.

Ubi enim cessio est in solam gratiam cedentis, quod ab aliquibus explicari solet, quando cessionarii nihil interest, an nomen cessum exigatur, necnè; Vel quod interesse sit modicum, quale considerari solet in exactore, vel administratore, seu negotiorum gestore obtinente mercedem exactionis, sive etiam in cedentis creditore, cui nomina debitorum cessa, seu assignata fuerint pro solvendo, ac jure impliciti mandati per debitorem idoneum, contra quem facilis, ac promptus sit regressus; Et tunc parum refert hujusmodi quæstiones assumere, quoniam, sive per veram, sive per fictam solutionem, debitor cessus liberetur, nihil, vel satis parum cessionarii interest, ideoque non videtur subesse congrua ratio denuò molestandi debitorem jam liberatum.

Aut verò interesse est omnimodum, vel magnum, & considerabile, & tunc, Aut debitor cessus contendit de lucro, cessionarius autem de damno, quia nempe cedens gratuitam debiti remissionem fecerit; Et extra controversiam est, pro cessionario respondendum esse, quamvis in debitore cesso, ignaro, vel non inhibito de tempore obtentæ liberationis, bona fides concurreret, cum tali casu, licèt ex parte ipsius debitoris ita liberati, non adsit fraus, quæ dicitur consilii, adesse tamen dicatur fraus, quæ dicitur præjudicii, seu re ipsa.

Aut verò constat de vera, & effectiva solutione, citra fraudem, & collusionem, vel ejus probabilem suspicionem, & tunc nimium circumspectè procedendum est, ut quoties dicta requisita benè non verificentur, non de facili ille, qui verè debitum semel solvit, denuò ex rigorosa legali subtilitare solvere cogi debeat, ubi præsertim ob impotentiam, vel majorem potentiam ejus, cui solutum est, præjudicium habeat de irreparabili, quoniam in concursu culpæ, major videtur illa cessionarii, cui minus commiserandum est, dum sibi imputare debet cur obtenta cessione, neglexerit formiter inhibere, ac adhibere remedia, & cautelas per legem sibi traditas,

Ubi autem casus sit mixtus, seu ambiguus, qualis videtur ille, in quo certa, & concludens veræ, ac effectivæ solutionis probatio non habeatur, neque explicitè constet de remissione gratuita, puta, quia agatur de quietantia per confessionem de recepto; Et tunc procedendum videtur cum iis, quæ habemus in materia confessionis in casibus prohibitis, nempè viri dote recepta, vel Prælati, seu tutoris, aut alterius administratoris, in quibus, vel similibus, simplex confessio dubio non est præjudicialis, benè tamen præjudicat adminiculata, quoties adminicula sunt talia, quod probabiliter veritatem suadeant, atque fraudem, vel collusionem excludant; Et super quo certa, & determinata regula dari non potest, cum totum pendeat à facti qualitate, ut pluries advertitur præsertim *sub tit. de Dote disc. generali* 159. & *in pluribus disc. particularibus*.

Quatenus verò agatur de alio actu mixto continente partim veram solutionem, & partim remissionem, (ut in transactione contingit;) Et tunc procedendum videtur cum distinctione, de qua pluries *sub tit. de fideicommiss.* præsertim *disc.* 173. & *seqq.* & *sub titulo de feud. disc.* 49. ac sub altero *de emphyt. disc.* 52. & *alibi*, quando scilicet transactio dicatur bona fide inita, adeout obstet tertio independenter venienti ex persona propria, necne; Ideoque benè reflectenti patebit, quod quæstio, ut dictum est, potius facti sit, quam juris pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis decidenda.

Illud autem extra controversiam, ut etiam in casibus in quibus dicta requisita concurrant, adeout cadenti solvi non possit, adhuc tamen idem cedens agere possit, ejusque actiones directas exercere in gratiam tamen cessionarii, ac ad effectum, ut cessionario solvatur, neque debitor cessus potest eum recusare, ut patet ex deductis per Burat. *dec.* 135. 8. Quod satis expedit pro exercitio illius actionis, vel judicii executivi non exercibilis per cessionarium, ut contingit in liquidatione instrumenti servata forma ritus M. C. V. de qua infra *disc.* 116. adeout in cessionibus adiici soleat pactum obligatorium cedentis, ut teneatur requisitus, agere, & incusare, seu liquidare instrumentum, ad commodum tamen cessionarii.



ANNOT.